D VIII. 97

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex Lib. P. F. Francisci Ma
Berardelli — Faustino

I.

Digitized by Google

VERITAS IMPRESSIONIS SACRORUM STIGMATUM IN CORPORE SERAPHICI S. FRANCISCI ASSISIENSIS IN LUCE POSITA

Et a Criticorum quorumdam opinionibus vindicata

A F. FLAMINIO ANNIBALI DE LATERA
ORDINIS MINORUM
Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato, & Obſervantis Romanæ Provinciæ Alumno.

ROMÆ MDCCLXXXVI.
Ex Typographia Archangeli Caſaletti.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMO, ET RMO PRINCIPI

D. D.

JOANNI-MARIÆ RIMINALDI

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

Fr. Flaminius Annibali de Latera Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Lector Jubilatus

FELICITATEM.

NIL mihi certe jucundius, EMĒ PRINCEPS, nil huic operi honorificentius evenire poterat, quam hoc ipſum, utcumque a me ela-

boratum, celeberrimo nomine tuo inſcriptum in lucem edere, ac præſidiis hiſce munitum validiſſimis, veritatis, & religionis amicis typis excuſum offerre. Ex hac enim tanti nominis inſcriptione, tantique Mæcenatis auctoritate, illud abunde ei lumen, & pretium acceſſurum putavi, & firmiſſime credidi, quod ab ſtudio, vel arte auctoris nec habere unquam, nec ullo modo ei communicari potuiſſe optime noveram. Virtutes illæ præſulgidæ, quibus auguſto Purpuratorum Patrum Senatui adſcribi meruiſti, quibuſque nunc mirifice purpuram ipſam exornas, animi ſcilicet, corporiſque nobilitas, bonarum artium, ſcientia-

rum-

Digitized by Google

rumque cultus, & amor, in omnes humanitas, & beneficentia ſingularis, intime id mihi ſuadebant; ſed illa præſertim, ut ceteras reticeam, ſumma in Deum pietas, & in Divum Franciſcum, Minorum Patrem, & Ducem glorioſiſſimum ſatis perſpecta devotio, me ultimo adegit, ut Te in mei, ac operis patronum, & auſpicem deligerem. De ſacris namque in eo agitur Stigmatibus, quibus Vir Seraphicus, & Patriarcha beatiſſimus, mira Dei gratia in ſuo corpore impreſſus fuit, & quidem contra etherodoxos, & recentiores quoſdam intemperantes criticos agitur, qui mirabilem impreſſionem hanc vel abſolute

negant, vel a confictis cauſis eam repetentes, Stigmata ipſa metaphorica tantum, aut myſtica fuiſſe contendunt. Hujuſmodi idcirco opus non alterius profecto nomini dicandum erat, quam Viri, Sanctiſſimi Inſtitutoris, ejuſque Ordinis amantiſſimi, non alteri vovendum, quam præclariſſimo Principi Romanæ Eccleſiæ, cujus auctoritatem, dum hæretici, & alii laudata Stigmata inficiantur, vel ſugillant audacter nimis, vel omnino adimunt, vel flocci facere videntur. Tot enim tantiſque impreſſio iſthæc aſſeritur, et roboratur teſtimoniis Romanorum Pontificum, qui etiam ſolemne de eadem feſtum in Ec-

cleſia univerſali celebrandum inſtituerunt, tot tantiſque privilegiis, & gratiis hoc ipſum cumularunt, ut veritas hujus impreſſionis denegari non poſſit, quin Eccleſiæ, ejuſque ſupremi Paſtoris auctoritas lædatur ſimul, aut denegetur. Opus proinde, in quo dum vera, & realis in corpore S. Franciſci vulnerum impreſſio defenditur, & vindicatur, Eccleſiæ pariter, ac Summi Pontificis dignitas propugnatur, & aſſeritur, non alteri, ajebam, offerendum erat, quam ejuſdem Eccleſiæ Purpurato Patri, quem pius in Beatum Franciſcum affectus, fervenſque Eccleſiaſticæ auctoritatis, & diſciplinæ zelus æque com-

commendant. Ipſum igitur, Mæcenas ampliſſime, benigne reſpice, ac in perenne obſequentis animi argumentum clementer accipe.

FR.

FR. PASCHALIS A VARISIO

Lector Emeritus, Catholicæ Majeſtatis in Regali Matritenſi Congreſſu pro Immaculata Virginis Conceptione Theologus, ac totius Ordinis S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, Commiſſarius, Viſitator Apoſtolicus, & in Domino Servus.

CUM opus, cui titulus *Veritas Impreſſionis Sacrorum Stigmatum in Corpore Seraphici S. Franciſci &c.* a Reverendo Patre Flaminio Annibali de Latera Noſtræ Obſervantis Provinciæ Romanæ Lectore jubilato compoſitum, a duobus PP. Theologis de Ordine noſtro, quibus id commiſimus, reviſum, & approbatum fuerit, vigore præſentium facultatem eidem concedimus, quatenus, ſervatis ſervandis, illud typis mandare poſſit.

Dat. Romæ ex Aracœli die 6. Novembris Anno 1786.

Fr. Paſchalis a Variſio Miniſter Generalis.

De Mand. Rmi in Chr. Patris
Fr. Jo. Ant. Ticinenſis Secr. Gen. Ord.

AP-

DE mandato Revmi P. Paſchalis a Variſio Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum nos infraſcripti diligenter examinavimus opuſculum, cui titulus: *Veritas impreſſionis Sacrorum Stigmatum in corpore Seraphici S. Franciſci* &c. ab Adm. Reverendo Patre Flaminio Annibali de Latera ejuſdem Ordinis Lectore Jubilato compoſitum; & quoniam in eo nedum nihil caſtigatione dignum invenimus, magnam quinimo Auctoris eruditionem, ſanamque Criticen admirati ſumus, atque etiam adeo ſolide tum ab hæreticorum calumniis, tum a Criticorum quorundam phantaſticis opinamentis veram realemque Sacrorum Stigmatum in corpore S. P. N. Franciſci impreſſionem vindicatam perſpeximus, ut nemo deinceps eamdem valeat in dubium revocare; idcirco prædictum opus adprobamus, maximumque ex eo bonum Chriſtianæ Reipublicæ, ac Pietati acceſſurum cenſemus, ſi publicam in lucem prodierit.

Datum Romæ ex Aracœli nonis Novembris 1786.

F. Thomas Manni de Jerano S. T. Lector Generalis.

F. Gaudentius Patrignani de Coriano S. T. Lector Generalis.

Quam

APPROBATIONES.

Quam turpiter labantur, qui neglectis artis Criticæ regulis, ac, ne quid ad ſummam audaciam deſit publico Romanæ Eccleſiæ omnium Matris, & Magiſtræ judicio repudiato, Dominum Jeſum Chriſtum *frigeſcente mundo ad inflammanda corda noſtra ſui amoris igne in carne Beati Franciſci Paſſionis ſuæ ſacra Stigmata* renovaſſe negant, facile intelliget, qui præclarum Opus, cui titulus: *Veritas impreſſionis Sacrorum Stigmatum in corpore S. Franciſci Aſſiſienſis in luce poſita, & a Criticorum quorundam opinionibus vindicata a Fr. Flaminio Annibali de Latera Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato, & Obſervantis Romanæ Provinciæ Alumno*, accurate perlegerit. In hoc enim Opere tanta eruditionis copia, tantaque argumentorum vi ſuſcepta Sacrorum Stigmatum corpori S. Franciſci Aſſiſienſis divina virtute impreſſorum cauſa a doctiſſimo Auctore defenditur, ut rem plane conficiat, nullumque adverſariis ſuis evadendi aditum relinquat. Quare Opus ipſum, quod quidem Reverendiſſimi Patris Fr. Thomæ Mariæ Mamachii Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri juſſu expendi, quin aliquid a Catholicæ religionis dogmatibus, rectaque morum inſtitutione alienum in eo mihi occurrerit, publica luce digniſſimum duco.

Romæ in Coenobio Sanctæ Mariæ ſuper Minervam xi. Kalend. Decemb. Anno MDCCLXXXVI.

Fr. Thomas Maria Soldatus Ord. Præd. Sac. Theol. Magiſter, ejuſdemque in Collegio Germanico-Hungarico Profeſſor.

IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Rm̃o P. Sacri Palatii Apoſt. Magiſtro.

Franciſcus Xaverius Paſſeri Viceſgerens.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Maria Mamachius Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

SI ad compeſcendos errores, pro temporum veritate gliſcentes, calamum adhibendum eſſe, & veritatis amor, & ſcriptores omnis ætatis abunde ſuadent, erroneæ, quæ contra veritates nonnullas noſtris hiſce temporibus circumferuntur, opiniones intimè nos ad hoc ipſum impellunt, ut iſtarum falſitate detecta, veritas, quam ſub pietatis larva opprimere conantur, pro viribus defenſata triumphet. Inter veritates, quas noſtra hac ætate ſic quidam impetere audent, illa una eſt de vera, ac reali in corpore S. Franciſci Seraphici ſacrorum Stigmatum impreſſione, cujus propterea feſtum quoque, licèt a Romanis Pontificibus inſtitutum, & ab Eccleſia univerſali receptum, atque hactenus celebratum, è medio tollunt, & ab Eccleſiæ Dypticis abradere præſumunt. Recentiores hi noſtri, dum hæc & ſimilia agunt, potius hæreticorum, criticorumque intemperantium imitatores, & aſſeclæ, quam

tot

tot illuſtrium Catholicorum virorum diſcipuli, videri volunt, ac magis in illorum ſcriptis deguſtandis, quam in iſtorum libris perlegendis, delectari, ut homines emunctæ naris, & peregrinæ habeantur eruditionis.

Paucis miſſis, qui poſt aliquot elapſos a morte S Franciſci annos, cum nondum ſcilicet fama ſatis ubique vulgaſſet, Stigmatum prodigium Eccleſiæ auctoritate probatum eſſe, vel de ipſis non recte ſenſerunt, vel eorumdem realitatem, in longinquis poſiti regionibus, inficiati ſunt; omnium primi, qui maligno animo, & aperta fronte hæc nedum falſa, & ficta dixere, ſed cachinnis etiam & dicteriis in eadem debaccati ſunt, fuerunt ultimi temporis Novatores. Poſt hos, diverſo tamen ſpiritu, de eiſdem rectè minimè ſenſerunt Catholici quidam critici, ad ſobrietatem non utique ſapientes, quibus non omnia Proteſtantium dogmata penitus diſplicuiſſe, in propriis tractationibus ſatis clarum exhibent argumentum.

Anno ſiquidem 1513. prodiit in Germania abſque typographi, & auctoris nomi-

mine libellus, ſatyrico titulo inſcriptus, *Alcoranus Nudipedum*, contra librum *Conformitatum* Fr. Bartholomæi de Piſis, anno 1578. iterum Genevæ impreſſus latino gallicoque idiomate, germano illo duplo major, & peſtilentior, ſignatus, *Alcoranus Chordigerorum*. Ann. 1589. ſatyra hæc infamis tertio belgica lingua fuit excuſa Dordraci Batavorum, notata, *Alcoranus Fratrum Minorum*, ut in Apologetico, impreſſo Antuerpiæ an. 1607. n. 1. ad Lectorem, advertit Fr. Henricus Sedulius, qui de anno primæ editionis prudenter dubitat, quoniam libelli concinnator Miniſtrum ſe jactat & Viſitatorem, cum ſcilicet talis eſſe non poterat, quia Lutherus anno 1513. buccinam contra Romanam Eccleſiam nondum inſonuerat, muniaque, & nomina hujuſmodi adhuc ſuis non accomodaverat. Petrus Bælius in impio ſuo Dictionario Hiſtorico-Critico, tom. 2. Vocab. *François d'Aſſiſe*, Nota (I), præter editiones Alcorani à Sedulio recenſitas, alias duas indicat in margine, unam ann. 1556. *citée per Du Verdier Biblioth.* pag. 858., alteram anno

1560.

1560. *a Geneve chez Conrad Badius*. Hiſce editionibus adhuc alia addenda eſt an. 1651. *Dœventriæ typis Joannis Columbii*, quam nos præ manibus habuimus, cui titulus, *Alcoranus Franciſcanorum*.

Maligni hujus operis auctor ab aliquibus habitus eſt aliquando Lutherus; at Sedulius a viro de iſtius grege, Eraſmo ſcilicet Albero Brandenburgenſi, ipſum agnoſcit, ſimulque num. 10. ſcribit, calumniarum, & convitiorum plenas eſſe notas marginales, quibus Alcoranus conſpurcatus eſt, ac S. Franciſcum in eo vocari *Idolum ſtigmatizatum*, uti & nos ita eſſe conſpeximus. Bælius ipſe loco citato, exultans in rebus peſſimis, & calumniis plaudens, hæc habet: „ Voiez l' Alcoran des „ Cordeliers lib. 1. pag. 4. de l' Edition de „ Geneve 1560. in 8. vous trouverez une „ Note marginale bien ſatirique; elle eſt „ conçue en ces termes: Quant aux ſtig„ mates de cette idole, les Jacobins diſent „ que ce fut S. Dominique qui les lui fit „ d'une broche, étant ſurvenu quelque „ different entre eux comme il étoit caché

„ ſous

„ ſous un lit. „ In Nota (G) ſuo marte addit ibidem totius religionis irriſor, & everſor Bælius, jurgium die quadam inter duos Patriarchas exarſiſſe „ & que St. „ François s'etant refugié ſous un lit, l'au-„ tre armé d'une broche la lui fourra cinq „ ou ſix fois dans le corps. „ Hæc è ſuo cerebro Bælius; cui illud idem reſpondetur, quod ipſemet de auctore prædictæ Notæ lepide ſcribit: „ L'Auteur de cette Note, „ eſt coupable pour le moins d'un trés „ grand peché d'omiſſion. Il n'a cité per-„ ſonne qui dise que les Jacobins content „ cela &c. „ Et Bælius ſane, ſi diis placet, multos inventi hujus exhibet aſſertores, ac teſtes, imo tot omnino, quot profert auctor Notæ, unde riſu excipiendus eſt una cum iſto, utpote qui ambo ſine veritate, & ſine teſte fumoſi capitis deliria proferant, ac figmenta.

Poſt Acorani promulgationem nil Proteſtantibus frequentius fuit, quam ore & calamo S. Franciſcum *idolum ſtigmatizatum* edicere, ejuſque plagas tamquam a Minoritis excogitatas venditare. Theodo-

rus Beza in cap 6. Epiſt. ad Galat. virum Seraphicum, Stigmatibus inſignitum, vocat *horrendum ſtigmaticum idolum*, ut de eo adnotant Cornelius a Lapide in eumdem Apoſtoli locum, & Theophilus Raynaudus tom. 13. *de Stigmatiſmo ſacro, & prophano* cap. 7. dicens: *Spurcus Beza omnibus tetris notis inuſtus, cui S. Franciſcus eſt idolum ſtigmaticum horrendum, ejus vero vulnera figmenta*. Centuriatores Magdeburgenſes Centur. 13. cap. 10. de Summo Pontifice Alexandro IV. S. Franciſci vulneribus teſtimonium, ut audiemus, invictiſſimum perhibente, hæc ajunt: *Figmentum monaſticum de Franciſci Stigmatibus ſua auctoritate confirmavit, ita quidem, ut ea ſe vidiſſe conſtanter affirmarit. Commentum monaſticum, quo toti terrarum orbi Minoritæ impoſuerunt*. Tandem, Stigmatum hiſtoria cum S. Bonaventura deſcripta, ita concludunt: *Ludibria hæc fuerunt, impreſſa a ſpiritu ſuperſtitionis auctore .... Aliis quoque hæc per peculiaria quædam miracula innotuiſſe, ſine fronte mentiuntur, quæ recenſere animus non eſt. Ipſe demum Alexander IV. Pon-*

tifex

tifex publice ſe oculis ea ſuis conſpexiſſe non veritus eſt dicere. Editor quoque *Alcorani Franciſcanorum*, Deventriæ impreſſi, ut ſupra: ſic titulum hunc exponit: *id eſt, blaſphemiarum & nugarum Lerna, de Stigmatiſato Idolo, quod Franciſcum vocant, ex libro Conformitatum*.

Eadem ferme habet PhilippusMornæus, & ipſe Lutheranus, pag. 345. *Hiſtoriæ Papatus*, quam ipſemet, non in ſuo, ſed in noſtro ſenſu optime interpretatur *Myſterium iniquitatis*. Hæreticum hunc egregie confutavit Leonardus Coquæus Heremita Auguſtinianus in *Antidoto contra progreſſum ſexagesimum primum* tom. 2., ubi ex pag. 508. ejuſdem Mornæi, aliud etiam ſignat illius mendacium, inſtitutorem feſti ſacrorum Stigmatum indicare volentis. *Balæus*, inquit laudatus Raynaudus loco citato, *ſcriptorum omnium miſerrimus, ita & impudentiſſimus, in Catalogo ſcriptorum Angliæ in Appendice ad num. 37 Centuriæ tertiæ, narrationem de S. Franciſci Stigmatibus fabuloſam portentum appellat*. Franciſcus Turrianus in Apologetico apud eumdem

Raynaudum ibidem, hæc refert Petri Bequini verba: *Paulus Chriſtum crucifixum & animo circumtulit, & voce expoſuit, ac pinxit, & vita ſic expreſſit, ut ejus etiam in ſua carne circumferret ſtigmata, non picta, aut ficta, ut Franciſcanum idolum, ſed in omnibus ſuis partibus impreſſa.* Hæreticis his adcenſendi ſunt Petrus Bælius, & Jacobus *le Fevre d'Etaples*, ambo Stigmatum S. Franciſci hoſtes acerrimi; primus enim in Dictionario, præter jam allata, hæc quoque ſcribit: „ Une des plus grandes ſingu- „ laritez de François d'Aſſiſe eſt, qu'on „ pretend que Jeſus-Chriſt lui imprima les „ marques de ſes cinq plaies. Les Moines „ de ſon Ordre content mille & mille mer- „ veilles ſurce ſujet. Ils ont obtenu la „ permiſſion de conſacrer une féte á ces „ ſaints ſtigmates, & d'en reciter l'Offi- „ ce „. De hoc officio vero, & Stigmatum feſto, eodem Bælio referente, *le Fevre* in verſum 17 capitis ſexti Epiſt. ad Galat. ſcribit, ſuperſtitioſum eſſe, & damnabile, quod judicium approbans impius relator, ita proſequitur; „ La ſuperſtition „ de

„ de cette féte a quelque choſe de conta-
„ gieux ; elle eſt fort capable de jetter dans
„ l'illuſion les ames devotes ; les Prédi-
„ cateurs ſe rendent ſi pathétiques ce jour-
„ lá , & debitent des imaginations ſe guin-
„ dées , qu'ils ſement l'enthouſiaſme , &
„ l'extaſe dans pluſieurs cerveaux &c. „

Ex quo Novatores S. Franciſcum dixerint *idolum Stigmatizatum*, inter bardos, & ſuos prædicare non ceſſant, Minoritas æquiparare Chriſto crucifixo proprium parentem, hujus vulneribus exornatum, quod quam falſum ſit, & malignum in eorum ſenſu, totus mundus judex eſt, ac teſtis verax. In primis Lutherus furioſe, pro ſuo more, inſurgens in librum *Conformitatum* Bartholomæi Piſani, ſtulte & calumnioſe ſcribit in *Præfatione*, eumdem librum tanti feciſſe Piſani confratres, ut ab his *habitus ſit loco Evangelii*, *& ipſe Franciſcus loco Chriſti obtruſus*. A magiſtro tantum didicere diſcipuli, qui Alcorani titulum ſic etiam interpretantur : *Epitome præcipuas fabulas, & blaſphemias complectens eorum, qui B. Franciſcum ipſi Chriſto*

æquare auſi ſunt, excerpta ex amplo Conformitatum libro. Imo auctor præcitatus ediditionis Deventrienſis *Alcorani Franciſcanorum*, in epiſtola prævia *Chriſtiano Lectori* hæc impudentiſſime ſcribere audet: *Ex Chriſto Domino noſtro figuram ſolum ac typum Franciſci faciunt; hoc eſt, Chriſtus eſt ſervus, Franciſcus vero Dominus ejus .... Ex hoc Chriſto Domino noſtro Monachi ſervi figuram faciunt, ac collocant Franciſcum longe ſupra Chriſtum .... Franciſcum ut verum Meſſiam, Mediatorem, Advocatum, ac Patronum invocant, & vitam æternam ab ipſo petunt*. Sed quis, cui ſanum ſinciput, inſana hæc, & maligna hæreticorum figmenta non rideat, ſimulque non vituperet Julii Cæſaris Scaligeri ignorantiam, qui in *Poeticis*, cum Alcorani auctore, licet ſuperbus, & invidus non minus quam Joſeph filius, hæc plagiarius fidiſſimus canere non dubitavit?

Hoc reſtabat, ea Franciſci imagine Chriſtum
Redderet. O lector! Chriſtus hic alter erit.

Sed

Sed magis vituperandi ſunt Catholici illi, qui eadem a Proteſtantibus mutuati, ſcriptis etiam tradiderunt, ut auctor diſſertationis gallicè conſcriptæ „ Sur l'Inſcription „ Du Grand Portail Du Couvent des Cordeliers de Reims „ *Deo Homini, & B. Franciſco, utrique Crucifixo*, quam inſcriptionem appoſuit P. *Le Franc* ejuſdem Cænobii incola. Huic diſſertatori concinit recentior quidam in *Collectione Opuſculorum, Religionis utilitatem*, ut ipſe vult, *concernentium*, ac tom. 9. hujus collectionis eamdem affert diſſertationem italicè verſam, eſtque ejuſdem tomi *Opuſculum Secundum*. In prima Nota celebrat collector diſſertatorem, quem non Adrianum Baillet, ut olim credidere nonnulli, ſed fuiſſe Joannem Baptiſtam Thiers, ex Dictionario Hiſtorico Auctorum Eccleſiaſticorum nos docet. In alia Nota ad cap. 1. pag. 78. addit ex proprio innato genio collector, S. Franciſcum a ſuis Chriſto crucifixo æquiparari, eo quod in ſtemmate proprii Ordinis duo exhibeant cancellata brachia, nudum unum, veſtitum alterum, Chriſti primum, S. Fran-

ciſci ſecundum, Crucem inter ſe mediam habentia, quorum utraque manus rubra cicatrice obducta eſt.

Hæreticorum finis in tot calumniis excogitandis, & vendendis, unus eſt præcipuus, eorumque ſingulis communis; ne ſcilicet vel ex hoc uno, a ſæculo inaudito Stigmatum prodigio, totum reformationis ædificium deſtrui, ac veluti a fundamentis ruere videant. Cum namque Eccleſia Romana longe ante S. Franciſci ævum a Chriſto, ut ipſi blaterant, ita defeciſſet, ut nec veritas, nec vita, Seraphico viro in terris agente, in ea inveniri, vel aſſequi poſſent, unanimi conſenſu pernegare decreverunt, tam illuſtre prodigium in medio Eccleſiæ, per ipſos reprobatæ, contigiſſe, & quidem in Viro eidem, ejuſque ſupremo Capiti addictiſſimo. Timebant enim ne quis contra eos ita argumentaretur: Si Eccleſia Romana S. Franciſci ætate erat illa Babylon, ut vos prædicatis, in Apocalypſi deſcripta, in qua gratiam & gloriam nemo aſſequi poterat, a Chriſto jam reprobata, ac derelicta, cur eſt, quod ejus

filio-

filiorum unus, Seraphicus, nempe Franciſcus, ipſimet Eccleſiæ ſumme devotus, tali gratia ab eodem Chriſto donatus fuit, ut etiam propria Stigmata ei viſibiliter impreſſerit? Hoc adeo torſit hæreticorum cranium, ut, cum alia via a vexatione liberari non poſſent, hanc invenerunt expeditionem, gratis videlicet aſſerendi, vulnera S. Franciſci Seraphici vel ficta fuiſſe, & a fratribus excogitata, vel Diaboli fuiſſe illuſiones, ut ajunt Magdeburgenſes, quo certe nil facilius, aut expeditius dici poteſt.

At neminem latet, Proteſtantes ad ſimplicium deceptionem plenis buccis quotidie reſonare, Eccleſiam Romanam ideo præcipue a vera fide excidiſſe, quia exercet, ac fovet idololatriam in cultu, & veneratione Sanctorum. Cum itaque horum omnium Imagines, & Reliquias habeant ipſi pro idolis, de S. Franciſco hoc unum addunt, quod ſit *idolum ſtigmatizatum*, quia ſignaculis Paſſionis Chriſti notatus exprimitur. Hic non eſt locus, hanc eorum retundere calumniam, centies a Catholicis validiſſime confutatam, ac dicimus tantummodo, Da-

læum

læum quoque, Calvini aſſeclam, ſuorum de hac ipſa re ignorantiam exprobraſſe. Docens hic in *Apologia* quo cultu Sancti colantur in Eccleſia Romana, hunc approbat veluti juſtum, & rationabilem dum ita ſcribit: *Ea ipſa Roma, de qua querimur, fere nobiſcum ſentit; quamvis enim nonnullis creaturis magnos ea præſtet honores, hoc tamen ſemper agnovit, quamdam eſſe cultus ſpeciem, qui nulli debet, nec poteſt præterquam Deo, præſtari, illeque eſt, quem communi ſatis vocabulo Latriæ cultum appellat, quo diſtinguatur à ceteris ſpeciebus, queis alterum, qui Deus non ſit, coli poſſe putat.*

Quid mirum inſuper ſi hæretici tam acriter inſectentur S. Franciſci Stigmata, cum ipſi, ob rationem deſuper adductam, omnia miracula recenſita in hiſtoria Eccleſiæ Romanæ jam lapſæ, ut ipſi calumniantur, ficta, & imaginaria eſſe proclament? Bellarminus tom. 2. lib. 4. cap. 14., quod eſt *De Notis Eccleſiæ*, harum undecimam ponit *gloriam miraculorum*. Ad hæc rident Novatores, licet à Venerabili Cardinali ibi-

ibidem egregie devicti, & cum horum ne unum quidem indicare poſſint a propriæ reformationis auctoribus patratum, quod ad proprium Apoſtolatum confirmandum, ſi fuiſſet a Deo, operari debuiſſent, deſperatione ducti, ſcriptis & ore garriunt, *ex miraculis non ſumi argumentum firmum ad probandam veram fidem*. Addunt vero cum Calvino in *Præfat. Inſtit.*, & cum Magdeburgenſibus in ſingulis Centuriis, *miracula Sanctorum noſtrorum vel eſſe ficta, vel imaginaria, ideſt, vel non ita contigiſſe, & falſo narrari ab hiſtoricis, vel ſi contigerunt, eſſe præſtigias dæmonum*. O infelix aſtutia! Scriptura, quam ipſi unam audire, ac ſequi gloriantur, nonne apertiſſime docet, virtutem efficiendi miracula prædicatoribus veræ fidei, & Eccleſiæ ſuæ miniſtris a Chriſto fuiſſe collatam? *Convocatis duodecim Apoſtolis*, habetur Luc. 9. v. 1. *dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent. Et miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos*. Facultas prædicandi Evangelium una cum virtute patrandi miracula hic a

Chriſto ſimul juncta conceditur; unde & Marci 16 hæc ab eodem Redemptore dicta leguntur: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; ſerpentes tollent; & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt*. De Sanctis Apoſtolis, & prædicatoribus veritatis hæc dicta eſſe, quæ ſequuntur, verba aperte declarant: *Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis*, quorum multa in Actibus Apoſtolorum a S. Luca recenſentur. Quid plura? Ipſemet Chriſtus Joann. 14. v. 12. de iis, qui credituri erant in eum, non ne dixit: *Qui credit in me, opera, quæ ego ipſe facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet?* Ita ſane. At ſi reformatores credebant in Chriſtum, ejuſque habebant veram fidem, & ſanam doctrinam annuntiabant, cur non fecerunt opera Chriſti, ſcilicet miracula? Et ſi hæc de ſuis fidelibus dixit ipſa Veritas, & Magiſter, cur ipſi tradiderunt, eorumque factioſi prædicant,

mi-

miracula non eſſe teſſeram veræ fidei, & ab iſtis non ſumi argumentum firmum ad hanc probandam?

Virtus miraculorum, Eccleſiæ ab ejus inſtitutore impertita, in eadem perdurare debet uſque ad ipſius conſummationem, & ſæculi finem, cum ab eo data fuerit in ſignum veritatis, ad infideles miraculorum luce omni tempore illuminandos, & fideles opportune reficiendos, & in veritate confirmandos. Aperte id tradit Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 12., ubi ait, quod Deus inter alios poſuit in Eccleſia etiam illos, quibus dedit *gratias curationum, genera linguarum*. Idem Apoſtolus, ut ſuperius dicta confirmemus, 2 ad Corinth. c. 12. non probat veritatem ſuæ miſſionis ex prodigiis per ipſum a Deo patratis, dicens; *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus?* Tandem idem Chriſtus ad confirmandam ſuam cæleſtem doctrinam, & divinitatem Joann. 10. non utitur argumento miraculorum, ſic Judæos perſtringens; *Si mihi non vultis credere, operibus credite?*

Apertiſſima ſunt ſcripturæ verba. *At ſi ex miraculis non ſumitur argumentum firmum ad probandam veram fidem*, cur Paulus hæc ipſa profert in teſtimonium ſui Apoſtolatus, & cur Chriſtus hæc palam operari non deſtitit, ac ſigna eſſe dixit illorum, qui in eum crediturí erant, objecitque Judæis in tanta eorumdem luce minime credentibus? Hæretici nihilominus miraculis fidendum non eſſe contendunt, quæque in Eccleſia Romana patrantur, vel ficta, vel imaginaria eſſe proclamant, & ſi quæ veri ſpeciem habere concedunt, dæmonis arte fieri mentiuntur, quemadmodum de S. Franciſci Stigmatibus eos credere, & evulgare intelleximus.

Sed ratio, cur ita obloquantur, eſt, ut innuimus, deſperatio, ad quam eos impulere proprii Anteſignani, qui cum ad ſuam extraordinariam miſſionem probandam portentum nullum edere potuerint, quamvis id non una vice tentaverint, ne quis ex hoc inferret, eam non fuiſſe a Deo, quia ſignis, ut illa Pauli, & aliorum, minime firmatam, contra evidentiam Scriptura-

turarum clamare cæperunt, miracula non eſſe argumenta firma veræ fidei. Hunc Magiſtrorum canonem amplectentes diſcipuli, idipſum edocere non ceſſant, cum illis addentes, quæ in Eccleſia noſtra eveniunt portenta falſa eſſe, & conficta, ut ſic nobis auferant arma, ſeque a preſſura liberent, & a laqueis extricent. Catholici e contra gloriantur de miraculis, quæ Deus inter ipſos operari dignatur per eorum nonnullos, quos illibata vita commendat, dumque hæc, atque illud Stigmatum S. Franciſci admirantur, & extollunt, cum S. Auguſtino lib. de Utilit. credendi cap. 17. lætantur, *ſe teneri in Eccleſia etiam vinculis miraculorum*. Novatoribus autem, diabolica vi hæc fieri dicentibus, reponunt, etiam de Chriſto blaſphemaſſe Judæos, ipſum *in Beelzebub principe dæmoniorum eiicere dæmonia*.

Ipſi Catholici, qui diabolicas artes, & incantationes non minus certe, quam Proteſtantes, deteſtantur, cum in eorum communione prodigia a Deo per aliquem fieri conſpiciunt, hujus vitam expendunt,

& ſi hæc virtutibus exornata reſplendeat; tunc illud Nicodemi Chriſtum alloquentis usurpant: *Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. Hujus rei teſtis eſt omni exceptione major Sacrorum Rituum Congregatio, quæ dum agit de Catholicorum aliquo inter Sanctos, vel Beatos adſcribendo, prius de iſtius moribus diligentiſſime inquirit, ejuſque vitam, an fuerit Evangelio perfecte conformis, longa & ſcrupuloſa indagine dijudicat. Si hæc talis, & quidem in gradu ſummo, ſive, ut ajunt, heroico, probari nequeat, ulterius in ejus cauſa non procedit, nec dignum putat, qui Beati, vel Sancti titulo decoretur. Si vero de excellenti ejuſdem virtute, in qua ſanctitatem, & perfectionem conſiſtere credit, tutiſſima evadit, tunc ad prodigia per ipſum patrata excutienda deſcendit, tamque rigide & exacte agit in hac re, ut ex pluribus miraculis a Poſtulatoribus exhibitis duo tantum vel tria utplurimum approbet ut vera, quandoque vero etiam cuncta abſolute reiiciat, ſi horum nullum eas notas habere dignoſcat,

ut

ut citra omne dubium dici poſſit: *Digitus Dei eſt hic*. Ea denique in re tam gravi ſe gerit Eccleſia Romana circumſpectione, & diligentia, ut Muratorius de Ingen. moderat. lib. 1. cap. 17. hæc aſſerere non dubitaverit: *Ritus canonizationis, ab Apoſtolica Sede eo nunc peragitur accurato, diligentique ſtudio, ut pie credendum ſit, nullum ea in re errori locum fuiſſe, aut deinceps futurum*.

Poſt hæreticos ex noſtris nullum adhuc invenire potui, qui aperte negarit S. Franciſci Stigmata, aut qui falſa, & conficta ea dixerit, præter Italum quemdam, auctorem libri inſcripti: *Reflexiones Itali cujuſdam ſuper Eccleſiam in genere, ſuper Clerum tam Regularem, quam Sæcularem, ſuper Epiſcopos, & Romanos Pontifices, & ſuper jura Eccleſiaſtica Principum*. In hoc opere, edito anno 1768., impreſſionem Stigmatum in corpore S. Franciſci moderniſſimus auctor vocat *ſolemnem, & indignam fabulam, apertiſſimum mendacium*. Etiam in Dictionario Domini *Ricchelet*, impreſſo Rhotomagi 1710. apud Viduam Franciſci *Vaultier*, Vocab. *Stigmata*, legi-

 tur:

tur: *Glorioſa Stigmata S. Franciſci. Credi-
tur quod ſint fabula*, quæ ultima verba in alia
nulla extant hujus Dictionarii editione, nec
quidem in Genevenſi. Præter hos, inquam,
Catholicos, horum nullum deprehendi,
qui vulnera S. Viri abſolute inficiatus ſit.
Quotquot enim Catholicorum de inſigni
hoc portento haud recte ſenſerunt, quoad
modum tantummodo peccavere, ea cum
veteribus aliquibus ab imaginatione, jugi,
& valida meditatione Paſſionis Chriſti ſuc-
cenſa, repetentes. Horum unus fuit Fran-
ciſcus Petrarcha qui lib 2. de Vita Solitaria
cap. 11. loquens de S. Franciſci Stigmati-
bus, eadem vocat *ſtupendum, inſigne ſacra-
rum Stigmatum*; ſed lib 8 Epiſt. ſenil. in
tertia, quæ eſt *ad Thomam de Garbo Medi-
cum Florentinum*, eorum impreſſionem tri-
buit imaginationi, ſive, ut ipſe ſcribit,
opinioni: Ejus verba ſic refert Summus Pon-
tifex Benedictus XIV. de Servor. Dei Beatif.
& Beator. Canoniz. lib. 4. part. 1. cap. 33.
num. 19. *Profecto Franciſci Stigmata hinc
principium habuere: Chriſti mortem tam ju-
gi, & valida meditatione complexus eſt, ut
cum*

sum eam in ſe jam dudum animo tranſtuliſſet, & cruci affixus ipſe ſibi ſuo cum Domino videretur, tandem ab animo in corpus veram rei effigiem pia tranſtulit opinio.

Petrarchæ adhæſit Petrus Pomponatius, qui prius anceps, ut ait Raynaudus jam citatus, an S. Franciſcus vere & realiter fuerit Stigmatibus inſignitus, hæc tandem imaginationi & ipſe adſcripſit lib. de Incantationibus cap. 6. in propoſit. Dubii Octavi. *Homuncio iſte*, ut de eo loquitur Lucas Guerricus Schemat tract. 4. *corpore nanus, & ſpiritu deformior*, ac nullius religionis vir ex teſtimonio Elidæi Medici, ipſius Pomponatii diſcipuli, qui aliquando interrogatus de Magiſtri fide, ſine hæſitatione reſpondit: *Atheus eſt*, a phantaſia S. Franciſci vulnera recentiorum primus agnovit. Hinc propterea, ſicuti ex Daniele Georgio Moroff Polyhiſtor. tom. 2. lib. 1. cap. 2. omnium ſubſequentium Atheorum Doctor fuit, utpote qui his omnibus argumenta ſuppeditaverit, quidquid contra ſcribat Bælius in Apologia fruſtra pro ipſo adornata, ita & omnia intemperantium

Criticorum poſtremæ ætatis, contra Stigmata S. Franciſci, fuit Magiſter. Ipſum namque ſequuti ſunt Adrianus *Baillet* in Vita S. Franciſci, & Joannes Baptiſta *Thiers* in diſſertatione ſuperius indicata. Horum primus adeo ſubdole, & artificioſe de eis verba facit, ut dubium ingerat lectoribus de eorumdem veritate; cumque addat, viſum eſſe S. Franciſco, longa macie & pænitentiis conſumpto, crucifixum Seraphim intueri, non obſcure declarat, hujus vulnera apud ipſum myſtica tantum, & ſpiritualia fuiſſe. Alter vero cap. 3. circa finem ipſa repetit ab amoris vi, dicens: *Clavi S. Franciſci, non fuerunt niſi clavi ſancti amoris, quibus uniebatur Chriſto, & lancea nil fuit aliud, quam charitatis flamma, quæ ipſum adurebat*; licet poſtmodum & ipſe *Thiers* in Bailleti ſententiam aperte deſcendat. His addi poſſunt Simonius, Dupinus, *& fortia quædam ingenia*, ut verbis utar præcitati Raynaudi, *quæ ſub nomine Catholico occulentia indignam Eccleſiæ filiis capitoſitatem, ſacris B. Franciſci Stigmatibus obſtrepuerunt*. At de his omnibus opportune in hoc

hoc opere erit ſermo, ubi eorum opinionem falſam, & revera phantaſticam eſſe demonſtrabimus.

Antequam vero id agamus, realitatem Stigmatum S. Franciſci prius contra hæreticos, & alios indicatos, eadem abſolute negantes, oſtendemus argumentis juxta criticen validiſſimis, eo diſtributis ordine, quem ipſamet rei natura exigere videbitur. Quamvis autem hæc Criticorum quoque intemperantium ſimul exſufflent opinamenta, nihilominus peculiaribus rationibus poſtea videbimus, illa nec phantaſiæ vi, nec ulla humana induſtria, vel arte, ut hi ſine probationibus evulgant, imprimi potuiſſe. Breviter ſubinde quidquam de feſto eorumdem Stigmatum attingemus, ac iſtud ſuperſtitionem, ut eorum aliqui delirant, nec eſſe, nec dici poſſe palam faciemus. Denique probabimus, quod hæc impreſſio, etſi vera fuerit, & materialis, ut a nobis pie creditur, & affirmatur, non proinde tamen S. Franciſcum Chriſto crucifixo in ſenſu, quo hæretici, & alii cum iſtis maligne calumniantur, æquiparamus.

Hæc

Hæc tota erit opuſculi noſtri methodus, & ſumma, atque ad rem pro Dei gloria, & S. Franciſci honore jam libenter accedimus. Quoniam vero argumentum noſtrum ex illis eſt, quæ ab Eccleſia pie credenda fidelibus proponuntur, non divina, ſed fide tantum humana, idcirco rationibus utemur, quæ ad fidem hujuſmodi faciendam in ipſis Criticorum regulis tutiſſimæ, & invictæ exiſtimantur.

IN-

INDEX.

CAPUT I.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci Seraphici aſſeritur ab auctoribus coævis, &c. Pag. 1

CAPUT II.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci in luce ponitur ab auctoribus quaſi coævis &c. 21

CAPUT III.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci teſtibus demonſtratur, qui eadem dum Sanctus viveret vel oculis viderunt, vel manibus palparunt. 40

CAPUT IV.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci comprobatur teſtibus, qui ea pariter & viderunt, & palparunt in ejus morte. 60

CAPUT V.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci ex iis, quæ in ejus Canonizatione acta fuerunt, inviƈtiſſime probatur. 74

CAPUT VI.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci aucto-

auctoribus confirmatur, ſcientia, & pietate conſpicuis, &c. 96

CAPUT VII.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci monumentis evincitur antiquiſſimis, &c. 106

CAPUT VIII.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſce vera probatur ſingulari devotione, qua Romani Pontifices, &c. 121

CAPUT IX.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci feſto de eadem ab Eccleſia inſtituto roboratur. 134

CAPUT X.

Feſtum impreſſionis ſacrorum Stigmatum in corpore S. Franciſci Seraphici ſuperſtitionem non eſſe, &c. 150

CAPUT XI.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci nec a phantaſia, nec ab alia naturali vi, ſed ſola Dei virtute fieri potuit. 166

CAPUT XII.

Ex quo S. Franciſcus vera & reali Stigmatum impreſſione inſignitus dicatur, non ideo Chriſto Domino æquiparatur, &c. 185

VE-

VERITAS IMPRESSIONIS SACRORUM STIGMATUM IN CORPORE SERAPHICI S. FRANCISCI ASSISIENSIS

CAPUT I.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci Seraphici aſſeritur ab auctoribus coævis, qui non obiter, ſed conſulto horum hiſtoriam deſcripſerunt.

CUM factum hiſtoricum ab auctorum teſtimonio pendeat, quo iſti ætate aut parum, aut longe diſtant ab eodem facto, eo majoris, vel minoris momenti probationem ſuppeditant, Criticis fatentibus univerſis, qui proinde recte concludunt, teſtem oculatum, et contemporaneum audiendum eſſe præ alio, qui aliquibus dumtaxat poſt factum, quod narrat, annis, vel ſæculis floruit. Ut de ſolo teſte contemporaneo hic loquamur, „ teſtimonium aucto-

Digitized by Google

„ ris contemporanei, „ inquit P. Honoratus a S. Maria tom. 1. diſſert. 7. art. 9. §. 1. regul. 4. „ anteferendum eſt teſtimonio do- „ ctorum, qui pluribus annis, itemque ſæ- „ culis a re diſtant, quia priorum teſtimo- „ nium accuratius videtur eſſe, quamvis „ poſteriores majore ſint nomine, et digni- „ tate „. Hæc regula eo vel maxime viget, et vim obtinet, ſi auctor coævus probitate, et integritate pollens „ factum referat „ ſcribit Carolus Leshius apud eumdem Honoratum ibid. diſſert. 3. art. 1. „ quod fuerit „ compertum, ac ſenſibus ita patens, ut de „ eo aures, atque oculi ipſi judicium ferre „ potuerint, publicum item, quodque in „ orbis totius conſpectum venerit. Neque „ enim fit credibile „ addit Honoratus in præcitata diſſert. 7. art. 9. §. 1. reg. 3. „ alicujus in- „ tegritatis hominem tanta fuiſſe impuden- „ tia, ut aliis obtrudere facta voluerit, quæ „ aperire potuerint ſcriptores ejuſdem ævi, „ et planum facere, illa nihil magis eſſe, quam „ figmenta. Unde etiam Melchior Canus de loc. theolog. lib. 11. cap. 6. ait: „ Prima „ lex ex hominum probitate, integritateque „ ſumetur, quæ omnino res locum habet,

„ cum

„ cum quæ narrant hiſtorici, ea vel ipſi ſe „ vidiſſe teſtantur, vel ab his, qui viderunt, „ accepiſſe. Et ratio eſt„ ſubdit Mabillonius de ſtud. Monaſt. tom. 1. part. 2. cap. 8. „ quia ex hac probitate illi impotentes fiunt „ ad homines aliquando ſponte fallendum, „ aſſerendo nempe, geſtum aliquod ſe vidiſſe, quod tamen ipſoſmet penitus lateat„. Hinc propterea Critici omnes, univerſa hæc paucis complectentes, caute advertendum eſſe nos admonent, quo ſæculo, qua ratione, quo animo ſcripſerit auctor, cujus in rebus hiſtoricis utimur teſtimonio, ſique iis aut perſonis, aut rebus, de quibus agit, ſynchronus ſit, eique ut credamus admittunt, ſi facto, quod narrat, ſit ipſe coævus, illudque referat ſincero animo, et veritatis amore, quæ duo, tum bona, qua gaudet, fama, tum narratio ipſa ſimplex, et plana haud obſcure probabunt.

Scriptores coævos, ac reliquos omnes, qui de S. Franciſci Stigmatibus teſtimonium perhibent, homines fuiſſe probos, et integros, ex dicendis tum in hoc, tum in ſequentibus capitibus, abunde conſtabit, ac etiam apparebit, eorum plurimos factum

enarrare ſenſibus patens, et publicum, quod vel ipſi viderunt, vel a teſtibus oculatis audierunt. Bollandiani die 4. Octobr. de S. Franciſco Confeſſore §. 1. num. 1. præcipuos hujus vitæ Scriptores referentes, hæc habent: „ Primus omnium ejus vitam conſcripſit ex præcepto Gregorii IX., a quo
„ Legenda ipſa denominata, Thomas Ce-
„ lanus, Provinciæ Pennenſis, nunc S. Ber-
„ nardini dictæ, Sancto Patri familiaris, a
„ quo, vel a Sociis, accepit cuncta quæ
„ retulit. Secundus venerabilis Dominus
„ Joannes de Ceperano, Notarius Apoſto-
„ licus, in Sanctum Virum ſumme pro-
„ penſus. Tertius Anglicus quidam Legen-
„ dam illam Celani ad metrum gravis, et
„ docti carminis heroici reduxit. Quarto
„ diffuſius ejus acta retulerunt Socii Tres,
„ Leo, Angelus, et Ruffinus, ex præcepto
„ Miniſtri Generalis fratris Creſcentii. Quin-
„ to de ejuſdem mandato prænominatus Ce-
„ lanus ampliorem, quam ante, ſcripſit
„ Sancti Viri hiſtoriam, cui ſecundam ad-
„ didit partem, ita præcipiente Joanne Par-
„ menſi Miniſtro Generali, atque hæc illa,
„ quæ communiter nuncupatur *Legenda an-*

„ *ti-*

„ *tiqua*. Sexto gravem, et candidam ex om„ nibus Legendam contexuit S. Bonaventu„ ra, id rogante univerſo ferme ſodalitio: „ deinde breviorem concinnavit aliam, quæ „ diſtribuitur per Officium recitandum in „ ſolemnitatibus S. Franciſci. „ Hæc ex Waddingo ad ann. 1230. num. VII. edit. Lugdunen. Bollandiani, qui de vita a Celano conſcripta ibid. num. 3. addunt: „ Præ„ clara admodum vita eſt, ſcriptorem præ„ ferens doctum, et pium; „ ac de eodem, deque Joanne a Ceperano, ſcribit etiam Bernardus de Beſſa, jam S. Bonaventuræ Secretarius, in lib. de Laudib. beati Franciſci, qui aſſervatur in Regio MS. Codice Taurinenſi K. 111. 12. fol. 95. col. 1. ubi legitur: „ Plenam virtutibus beati Franci„ ſci vitam ſcripſit in ytalia exquiſite vir „ eloquentie frater thomas, jubente dompno „ gregorio papa nono; et eam, quæ inci„ pit, *Quaſi ſtella matutina*, vir venerabi„ lis dompnus, ut fertur, johannes apo„ ſtolice ſedis notarius „. Imo Celani Legendam breviorem reddidit ipſemet Bernardus de Beſſa; nam in Chronico viginti quatuor Miniſtrorum Generalium ſic habetur:

„ Quam Legendam Fr. Bernardus a Beſſa ad
„ compendioſiorem formam reduxit, et in-
„ cipit: „ *Plenam virtutibus*. Inſuper idem
Celanus de ſu met integritate ſatis clarum
argumentum exhibet in Prologo, quem ſic
exorditur: „ Actus, et Vitam beatiſſimi Pa-
„ tris noſtri Franciſci pia devotione, veri-
„ tate prævia, et magiſtra, ſeriatim cupiens
„ enarrare, et quia omnia, quæ fecit, et
„ docuit, nullorum ad plenum tenet memo-
„ ria, ea ſaltem, quæ ex ipſius ore audivi,
„ vel a fidelibus, et probatis teſtibus intel-
„ lexi, jubente Domino, et glorioſo Papa
„ Gregorio, prout potui, verbis licet im-
„ peritis, ſtudui explicare.

Hos igitur teſtes coævos, qui S. Fran-
ciſcum et viderunt, et cum eo converſati
ſunt, prius audiemus, quæque hi, Celanus
videlicet, Joannes de Ceperano, Treſque
Socii ejuſdem beatiſſimi Patris de impreſ-
ſione, et natura ſacrorum Stigmatum enar-
rant, in præſenti capite referemus, S. Bo-
naventuræ, aliorumque teſtimonium ad ſub-
ſequentia reſervantes. Celanus itaque apud
Bollandianos præfatos num 540. et 541. ſic
de S. Franciſci Stigmatibus narrationem in-
ſti-

ſtituit: „ Faciente ipſo moram in Eremito-
„ rio, quod a loco, in quo poſitum eſt,
„ Aumna (Alverna) nominatur, duobus an-
„ nis antequam animam redderet cœlo, vi-
„ dit in viſione Dei virum unum, quaſi Se-
„ raphim, ſex alas habentem, ſtantem ſu-
„ pra, manibus extenſis, ac pedibus con-
„ junctis, cruci affixum..... Cumque li-
„ quido ex ea viſione intellectu aliquid non
„ perciperet, et multum ejus cordi viſio-
„ nis ejus novitas inſideret, cæperunt in
„ manibus, et pedibus ejus apparere ſigna
„ clavorum, quemadmodum paulo ante vi-
„ rum ſanctum ſupra ſe viderat crucifixum.
„ Manus, et pedes ejus in medio clavis
„ confixi videbantur, clavorum capitibus in
„ interiori parte manuum, et ſuperiori pe-
„ dum apparentibus, eorum acuminibus
„ exiſtentibus ex adverſo. Erant enim ſigna
„ illa rotunda interius in manibus, exterius
„ autem oblonga, e caruncula quædam ap-
„ parebat, quaſi ſummitas clavorum retor-
„ ta, et repercuſſa, quæ carnem reliquam
„ excedebat. Sic et in pedibus impreſſa
„ erant ſigna clavorum, et a carne reliqua
„ relevata. Dextrumque latus, quaſi lancea

 „ tranſ-

„ transfixum, cicatrice obducta (obductum) „ erat. „ Idem Celanus in laudem Seraphici Parentis compoſuit et Sequentiam Miſſæ ſic incipientem, *Sanctitatis nova ſigna*, nunc antiquatam, in qua ad rem noſtram canebatur:

Sacrum corpus conſignatur.
Manu, pede vulneratur,
Dextrum latus perforatur,
Cruentatur ſanguine.
. . . .
Patent ſtatim miri clavi,
Nigri foris, intus flavi,
Pungit dolor pœna gravi,
Cruciant aculei.

Joannes de Ceperano apud eoſdem Bollandianos ibid. num. 544. poſt deſcriptam iiſdem ferme Celani verbis Viri crucifixi apparitionem, ita proſequitur: „ Apparebant in manibus ejus, et pedibus quaſi „ fixuræ clavorum, latuſque ipſius dexte- „ rum veluti lancea perforatum . . . . . Ta- „ libus in ſe, Vir Dei, reſultantibus mar-

„ ga-

„ garitis, ſtuduit ſummopere pretioſiſſimum
„ illum theſaurum, qua ſpeciali illum Do-
„ minus prærogativa ditaverat, ab omnium
„ omnino viventium oculis conſervare re-
„ conditum, ne quod vel minimum, con-
„ ſcii cujuſquam familiaritatis occaſione for-
„ taſſis incurreret detrimentum. „ Tres ve-
ro Socii viſionem Viri crucifixi et ipſi re-
ferunt, ac ſubinde hæc addunt: „ Qua vi-
„ ſione diſparente, admirabilis in anima ip-
„ ſius remanſit ardor amoris, ſed in carne
„ ejus mirabilior apparuit impreſſio Stigma-
„ tum Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ Vir
„ Dei pro poſſe abſcondit uſque ad mortem,
„ nolens publicare Domini Sacramentum,
„ licet hæc (hoc) penitus celare nequive-
„ rit, quin ſaltem familiaribus ſociis fuerit
„ manifeſtum. Sed poſt felicem ejus tranſi-
„ tum omnes fratres, qui aderant, et ſæcu-
„ lares quamplurimi manifeſtiſſime viderunt
„ corpus ſuum (ejus) Chriſti Stigmatibus
„ decoratum. Cernebant enim in manibus,
„ et pedibus ejus, non quaſi clavorum pun-
„ cturas, ſed ipſos clavos ex ejus carne
„ compoſitos, et eidem carni innatos, fer-
„ ri quoque nigredinem: dexterum vero la-
„ tus

„ tus quaſi lancea transfixum, veriſſimi ac „ manifeſtiſſimi vulneris rubea cicatrice erat „ obtractum..... Quorum Stigmatum in- „ fringibilis veritas non ſolum in vita, et in „ morte ejus per viſum, et contactum po- „ tentiſſimum luculenter apparuit, verum „ etiam poſt mortem ipſius per multa mi- „ racula, in diverſis mundi partibus oſten- „ ſa, Dominus ipſam veritatem clarius pa- „ tefecit „. Hactenus laudati Socii, quorum duo, ut audiemus, Stigmatum eorumdem teſtes oculati fuerunt, Leo ſcilicet, et Ruffinus, quos vitam Seraphici Patris una cum Angelo expleviſſe tertio idus Auguſti 1246. conſtat ex eorum epiſtola data Miniſtro Generali Creſcentio, in qua, eidem vitæ præfationis loco deinde præfixa, et relata a Waddingo ad ann. 1244. num. XI. ſic ſe exprimunt: „ Viſum eſt nobis, qui ſecum, „ licet indigni, fuimus diutius converſati, „ pauca de multis geſtis ipſius, quæ per „ nos vidimus, et per alios ſcire potuimus, „ veritate prævia intimare. „

Etiam frater Elias hic locum habet, teſtis & ipſe nedum coævus, ſed & oculatus, utpote qui Seraphici Viri diſcipulus et ipſe fuit,

ſuit, ac familiaris. In Epiſtola de iſtius morte, quam eo tunc Vicarius Generalis dedit *Ad univerſas Provincias*, hanc de ſacris Stigmatibus relationem intexuit: „ Annuntio vobis
„ gaudium magnum, & miraculi novitatem.
„ A ſæculo non eſt auditum tale ſignum, præ-
„ terquam in Filio Dei, qui eſt Chriſtus Deus.
„ Non diu ante mortem Frater, & Pater no-
„ ſter apparuit crucifixus, quinque plagas,
„ quæ verè ſunt Stigmata Chriſti, portans
„ in corpore ſuo; nam manus ejus, & pedes
„ quaſi punčturas clavorum habuerunt ex
„ utraque parte confixas, reſervantes cica-
„ trices, & clavorum nigredinem oſtenden-
„ tes, latus vero ejus lanceatum apparuit,
„ & ſæpe ſanguinem evaporavit. „ Hæc epiſtola, quam inter alios exhibet Waddingus ad ann. 1226. num. XIV. quæque incipit „ An-
„ tequam loqui incipiam ſuſpiro „ etiam ad manus, & aures eorum devenire poterat, qui adhuc vivum S. Franciſci corpus, aut jam mortuum contemplati fuerant, & manibus forte palpaverant; unde non ſine impudentia, & ſtupiditate ſumma chartæ mandaſſet Elias, quod ſtatim falſum, & chimericum poterat a plurimis comprobari. Hoč ipſum de aliis

aliis quoque ſcriptoribus deſuper allatis dicendum venit, quia & iſti de S. Viri Stigmatibus eo tunc ſcribebant, cùm adhuc erant in humanis illi, qui hunc aut vivum conſpexerant, aut defunctum. Ni igitur bardos, & ſine fronte hos fuiſſe dicere velimus; eorum teſtimonium admittendum eſt, & plurimi faciendum, cum ipſi non exſcriptores fuerint, ſed aliorum fontes, & quod narrant, a plurimis utique diverſorum temporum, & locorum ſcriptum ſit exploratæ fidei, et emunctæ naris auctoribus, qui, ut in decurſu operis, Deo dante, videbimus, ſatis abunde producuntur in teſtes.

His addendi forent, non ut Summi Eccleſiæ Pontifices, ſed ut hiſtorici & ipſi contemporanei, Gregorius IX. & Alexander IV. invictiſſimum S. Franciſci Stigmatibus teſtimonium perhibentes. At quoniam propriis oculis ea ſe vidiſſe in reſpectivis Apoſtolicis litteris, & alibi fatentur, eorum proinde verba afferemus, cum ex oculatis teſtibus depromenda erunt argumenta, ubi etiam Cardinales aliquot indicabimus, qui carmina de iiſdem vulneribus in corpore S. Franciſci viventis ab ſe inſpectis poſtmodum exornarunt.

Illis

Illis igitur omiſſis locis, in quibus laudati Pontifices affirmant, S. Franciſci Stigmata a ſe, & ab aliis inſpecta fuiſſe, ea tantum ex Alexandro IV. in præſenti capite exſcribemus, quæ teſtimonium perhibent nunc ad rem ſatis ſuperque ſufficiens. In litteris, *Si novæ militiæ*, datis Pontificatus anno primo, *Univerſis Miniſtris, Cuſtodibus, et Guardianis, ac ceteris fratribus Ordinis Minorum,* in quibus eis aperte mandat, ut numquam deſerant Alvernæ montem, inquit: „ Sane, o dilecti filii, celebrem illum vernantis Alvernæ montem, in quo ſublimatum corpus a ſublimiori animo non diſſentit, cum ibi nimius amor interius in mente fervens, intuitu Seraph incaleſcens, incendii fervore prorumpit exterius, decorans corpus in cruce ſplendidum ſuis margaritis, affectionum brachiis amplectimur tot & tanta mirifica recolentes. Quem enim amicum æternæ ſalutis ille locus non delectet quamplurimum, ubi, extremo jam inſtante ſæculi ſeneſcentis interitu, oſtendit exceſſus Regis militem regiis militaribus inſignitum? etc., In aliis vero, directis *Guardiano, et fratribus ſacratiſſimi montis Alvernæ*, Pontifica

ca

catus anno ſecundo, ſic incipit, et proſequitur: „ Romani eſt Summi Pontificis ea „ loca, ubi Chriſtus, ac ejuſdem beatiſſima „ ſemper Virgo, & Mater, vel Sancti incoluere, ad majorem eorumdem venerationem, et cultum gratiis, favoribus, et præcipuis privilegiis decorare. Cum ergo Alvernæ mons exiſtat hujuſmodi, in hoc enim et Chriſtus, et beatiſſima Virgo ſæpe apparuere, et S. Franciſcus nedum inhabitavit, ſed et Stigmata Sacra in ſui carne recepit, adeout quoquo modo Golgotha inſignior, et glorioſior iſte dicendus videatur. In illo enim Chriſtus ab impiis, et ſceleſtiſſimis dire, et inhumaniter, in hoc vero Franciſcus ab ipſo Chriſto, licet dolenter, dulciter, et amanter crucifixus apparuit „ In iis denique incipientibus, *Quia longum eſſet*, ſcriptis Pontificatus anno quinto, arguit regulares Clericos nonnullos de Caſtellæ, et Legionis Regnis, qui S. Franciſci Stigmata negantes, eadem in iſtius imaginibus vel exprimi vetabant, vel expreſſa abolebant, ac tandem concludit: „ Cum „ itaque ſuper his ad honorem Altiſſimi opportunum per nos deceat remedium adhi-

„ be-

„ beri, Apoſtolica auctoritate decernimus,
„ ut omnes de Regnis prædictis, qui de imagine Confeſſoris ejuſdem hujuſmodi Stigmata aboleverint, ſeu abolere fecerint, et qui prædicaverint, dictum Confeſſorem ipſa Stigmata nullatenus habuiſſe, cujuscumque Ordinis, vel conditionis exiſtant; eo ipſo laqueum excommunicationis incurrant, a qua non poſſint abſolvi, niſi perſonaliter Apoſtolicam Sedem adeant, super hoc abſolutionis beneficium petituri. „

Ex dictis interim conſtat, et ex dicendis magis magiſque conſtabit, Stigmatum impreſſionem in corpore S. Franciſci adeo certam eſſe, ut juxta Criticorum regulas de ea prudenter dubitari non poſſit, utpote quæ a plurimis auctoribus ejuſdem temporis, et regionis, in qua illa contigit, etiam oculatis, ut clarius percipiemus, integritate, probitateque præditis, uniformiter, ac iiſdem fere verbis non ambiguis enarretur, non obiter, et incidenter, ſed ſerio, et ex profeſſo, ut ajunt, remque ſemper ad ejus originem reducentibus. Plurimum namque ad veritatis firmitatem, et facti alicujus certitudinem confert, ſi ſcriptores, exCriticorum ſententia

tia, niſi verbis omnibus, at certe ſenſu conveniant in teſtimonio, quod de re aliqua perhibent; et ſi iidem ſcriptores ad rei geſtæ originem, quæ veritatis caput eſt, continua ſerie reducantur. Quoties enim hæc minime deſiderantur in auctoribus, factum aliquod narrantibus, fidem eis habendam, et factum per conſequens admittendum eſſe, Critici ipſi fatentur, præſertim ſi hoc in eis contigit regionibus, in quibus auctores ipſi ſcribebant; nec alicubi eos evertiſſe conſtat, quod alibi affirmaverant. Ex tot tantiſque hiſtoricis tum allatis, cum afferendis, nullum, quæ de S. Franciſci Stigmatibus tradidit, aliquando vel retractaſſe, vel evertiſſe ſcimus, imo eorum plures, ſemel enunciata de tanto prodigio, apertiſſime ſubinde confirmaſſe, ex eorumdem ſcriptis, et contextibus, quos in ſequentibus capitibus adducemus, certiores reddimur. Id ſpeciatim palam fiet de S. Bonaventura, cujus teſtimonium jure meritoque plurimi facimus, poſtquam in ſequenti capite ipſum attulerimus ex utraque Legenda, ubi conſulto, et conceptis verbis Stigmatum deſcribit hiſtoriam; variis namque teſtimoniis ex aliis

ejuſ-

ejuſdem operibus deſumptis oſtendemus, Doctorem Seraphicum varium non fuiſſe in Stigmatum narratione, ut ei fallo Bailletus imponit, ſed firmum ſemper, et in eorumdem aſſerenda veritate conſtantem.

Accedit quod laudata Stigmata a nullo ſcriptore coævo directe, ac ſerio, ſcriptis, aut voce oppugnata fuere, quod eorum veritatem firmiorem reddit, imo tutiſſimam. Regula ſiquidem eſt a criticis tradita, et a citato P. Honorato lib. 1. diſſert. 8. exhibita, quæ ſic ſe habet: „ Intereſt etiam, traditiones, „ mores, et facta hiſtorica non fuiſſe directe ab ſcriptoribus ejuſdem ævi oppugnata, vel ab aliis, quorum auctoritas de „ illorum falſitate nos certos efficere poſſit „. Dicant adverſarii a quo ſcriptore coævo alicujus nominis, & auctoritatis oppugnata fuerint Stigmata S. Franciſci? Ne unum quidem nobis obiicere poſſunt, atque iis opponere fide digniſſimis, quos in aſſerti noſtri confirmationem adduximus, & adducemus. Primi, qui aperte veritatem hanc denegarunt, gratis tamen, & nullis rationibus adductis, fuerunt ultimi temporis hæretici, in Præfatione recenſiti, quorum dicta, cri-

ticis docentibus, nauci facienda ſunt, quia tribus ſæculis & amplius a facto diſtant, & contra vetuſtiores, ingenio & probitate præditos, amaro animo inſurgunt. Ulterius, cum certi ſimus, eos, dum hæc & ſimilia infitiantur, non veritatis amore, ſed odio, ac rabie duci in Romanam Eccleſiam, ut nempe vel dogmata nonnulla, vel pias traditiones, quas iſta recipit, e medio tollant, ſummopere nobis ab eorum inſidiis cavendum eſt. Idem enim P. Honoratus tom. 4. diſſert. 6. art. 1. §. 1. ad noſtram doctrinam ſcribit: „ Experimento ipſo revera probatum eſt, primos, quos dicunt, Reformatores, itemque Proteſtantes poſtremi ſæculi, audaci critice protectos, in eo vim omnem poſuiſſe, ut ab imo Chriſtianiſmum ſuffoderent, ſive Scripturas dubitationibus, & futilibus jurgiis redigentes eò, ut certa argumenta, minimeque controvertenda de re Religionis inde comparare non poſſent; ſive inſurgentes in traditiones conſtantiſſimas, nulla alia ductos ratione, quam faſtidio ſuo; ſive curantes diruere ſenſim totum fidei exterius ædificium, inter ſuppoſita reiicendo ſcripta, & facta probatiora „.

Et

Et equidem, Magdeburgenſes, ut de ſolis iſtis quidquam innuamus, Stigmatum S. Franciſci hoſtibus infenſiſſimis, quam rationem afferunt ad horum falſitatem oſtendendam? Nullam omnino, niſi eorum inania verba pro rationibus, ludibria vero, et irriſiones pro argumentis habeantur. Sed quinam hi ſunt, ut eorum dictis omni probatione deſtitutis adhibeamus fidem, eorumque auctoritatem tot veterum, recentiorumque cordatorum hominum teſtimonio præferamus? „ Licet enim Miniſtri iſti „, inquit toties citatus P. Honoratus tom. 1. diſſert. 1. art. 4. num. 6. „ illuſtrium Criticorum famam adepti ſint, compertiſſimum „ eſt, eos in pluribus peccaſſe, et ſæpiſſime „ ſupinam prorſus criticen adhibere „, præſertim in re, de qua agimus, quam gratis reſpuunt, et damnant, dum nulla penitus adducta ratione abſolute pernegant, et ſine mente irrident. Si cujuſcumque dictum tanti valet, quantum rationibus innititur, quanti valebunt Centuriatorum ſubſannationes, et cachinni omni prorſus ratione vacui, quibus audacter nimis, nullo penitus inſtituto examine, S. Franciſci Stigmata ad fabulas

amandant, et ſolo faſtidio ſuo falſa, et ficta eſſe deprædicant? Quin vero contra ipſos regulis utamur, quibus Catholici arctari poſſunt auctores, & veritatis amici, fidem Magdeburgenſibus abſolute denegamus, quia in eorum Centuriis, uti ſcribit Gulielmus Cave Hiſt. Litter. in Præfat. cap. 3). „ ineſ-„ ſe labes, & nævos, multa omiſſa, pec-„ cata multa, deprehendi etiam quandoque „ in ipſis conditoribus nimiam affectuum „ indulgentiam, nec negari poteſt, nec diſ-„ ſimulari „. Tandem quanti facienda eſt auctoritas virorum, quorum fidem ipſimet Proteſtantes ſuſpectam habuerunt, quoſque proinde veluti impios damnaverunt, & pœnis mulctarunt? Idem P. Honoratus tom. 1. diſſert. 1. art. 4. num. 6. hæc de ipſis refert: „ Primi Centuriarum auctores ab ipſis Lu-„ theranis exilio mulctati ſunt, quod eos „ pati nequirent, immo Schluſelburgius, „ Lutheranorum celebris ſcriptor, ſuo hæ-„ reticorum Indici adſcribit Centuriatorum „ principem Mathiam Flaccum Illyricum, „ utpote manifeſtum Manichæum, & Ar-„ rianarum baſphemiarum reum „. Nemo igitur mirari debet, ſi homines hujus fidei

in

in S. Franciſci Stigmata inſurgentes, chimerica eadem eſſe venditarunt; ac proinde, quidquid ipſi garriant poſt annos trecentos & amplius ab eorumdem Stigmatum impreſſione, cum auctoribus coævis, quos audivimus, & cum aliis, etiam oculatis, quos audiemus, ſcientia, probitate, integritateque conſpicuis, impreſſionem ipſam admittimus, ac veram eſſe profitemur.

C A P U T II.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci in luce ponitur ab auctoribus quaſi coævis.

„ FActa celeberrima, „ ſcribit deſuper laudatus P. Honoratus tom. 1. diſſert. 7. art. 9. §. 1. „ quæ nihil incredibile „ afferunt, & in hiſtoricorum narrantium „ regionibus contigerunt, recipienda ſunt „ hæſitatione nulla ab ſcriptoribus illis, in „ quorum conſpectu geſta fuere, ſive qui „ didicerunt illa a viris fide dignis, vel „ ejuſdem ævi, maxime vero ſi ſcriptores „ iſti ingenio, probitate, & fide præſtant

„ ingenua. „ Cum itaque in præcedenti capite eos attulerimus, qui Seraphico Parenti contemporanei, de Stigmatibus ejus teſtimonium ſcripto tradiderunt, atque alibi eos allaturi ſimus, qui propriis oculis ea viderunt, nunc illorum dicta exſcribemus, qui eidem Sancto Viro quaſi coævi, utpote qui paucis ab ejus obitu annis de Stigmatibus ejus narrationem exornarunt, & factum a teſtibus oculatis, & fide dignis acceptum chartæ mandavere. Si namque, ut Critici ajunt apud eumdem Honoratum tom. 2. lib. 1. diſſert. 2. art. 2. „ non eſt admit-„ tendum factum hiſtoricum, quod ab au-„ ctoribus ejuſdem, aut ferme ejuſdem tem-„ poris non confirmetur, „ illud profecto amplectendum erit, quod a ſcriptoribus plurimis quaſi contemporaneis aſſeritur, præſertim ſi iſtis ſuffragio ſuo faveat Eccleſia; quia licet rem cum Criticis agamus, tamen „ pietate Chriſtiana cogimur, eas potius „ ſequi partes, a quibus Eccleſia eſt, quam „ nonnullorum Criticorum, qui pias tradi-„ tiones ad fabulas amandant. „ Inter auctores quaſi coævos cum locum habeat, ut notavimus, etiam Seraphicus Doctor S. Bo-

na

naventura, ingenio certe, religione, pietate, moribuſque clariſſimus, cujus auctoritatem tanti facit Eccleſia, ut Stigmatum hiſtoriam in horum feſto ex eo legendam proponat in Breviario Romano, ei de hiſce candide, & ingenue ſcribenti plurimum deferendum eſt, quoniam, ut advertit etiam Melchior Canus de loc. theolog. lib. 11. cap. 6., „ ſi cui hiſtorico auctoritatem Ec„ cleſia tribuit, hic dubio procul dignus „ eſt, cui nos etiam auctoritatem adjunga„ mus; contra vero cui Eccleſia derogavit „ fidem. „ Verum, ut rem critice tantum hic proſequamur, Doctori Seraphico, aliiſque hiſtoricis fere contemporaneis fidem habendam eſſe contendimus ob perſpectas eorum dotes, animi præſertim ingenuitatem, qua S. Franciſci Stigmata deſcribunt, factum nempe illuſtre, compertum, & publicum, ab iis acceptum, qui illud propriis oculis viderunt, quique mortales adhuc erant, dum iſti ſcribebant factum, diligenter excuſſum, & ab aliis plurimis deſcriptum exploratæ fidei hominibus.

In primis Lucas Tudenſis Epiſcopus, natione Hiſpanus, qui ſecundo vel tertio

anno a morte S. Franciſci opus compoſuit adverſus Albigenſes, legendum tomo, non 13., ut eſt apud Waddingum editionis Romanæ, qua nos utimur, ſed 25. Bibliothecæ Veterum Patrum lib. 2. cap. 11. de Stigmatibus Seraphici Parentis hanc luculentam inſtituit narrationem: „ Illud etiam beatiſſi-
„ mi Patris Franciſci, cujus humilitate, ac
„ ſimplicitate ſanctiſſima Deus noſtris tem-
„ poribus mundi contrivit ſuperbiam, &
„ ſcientiam reprobavit, qui Stigmata Jeſu
„ Chriſti in ſuo geſtavit corpore ſpecialius
„ ad fulciendum teſtimonium veritatis in
„ medium proferamus, ut veritas enuclea-
„ tius luceat, & falſitas offuſcetur; etenim
„ vero ut in ejus ſacra reperitur Legenda,
„ & multorum Religioſorum, Clericorum,
„ Laicorum, & Sæcularium, qui manibus
„ contrectare meruerunt, vel corporeis ocu-
„ lis ante quinquennium aſpexerunt, pium
„ perhibet teſtimonium, in manibus & pe-
„ dibus beati Franciſci quatuor apparuerunt
„ ſigna clavorum..... Præ ceteris enim
„ Sanctis ſignis paſſionis Dei & hominis an-
„ tonomaſtice ſublimatus, velut ſol meri-
„ dianus torpentia corda hominum calore

„ fidei

„ fidei inflammavit. Signa paſſionis Chriſti
„ fide ſenſibili demonſtravit, ne Stigmata
„ humanæ redemptionis vetuſtate de fidelium
„ mentibus delerentur..... Maxima quidem
„ pars mundi ad falſa, vel dubia divette-
„ bat. Alii diverſis erroribus implicati pro-
„ caciter contendebant, Chriſtum in vera
„ carne non fuiſſe paſſum. Alii nulla fulti
„ auctoritate aſſerebant, tribus tantum cla-
„ vis cruci fuiſſe affixum, & non dextrum
„ latus ejus, ſed ſiniſtrum lancea vulnera-
„ tum. Sed omnipotens Deus, qui infirma
„ mundi eligit, ut fortia quæque confundat,
„ per ſervum ſuum, litterarum fere rudem,
„ Franciſcum, occulta fide ita illorum elu-
„ ſit argumenta fallacia, ut etiam inviti ce-
„ dant manifeſtiſſimæ veritati. Si autem quis
„ forſitan adhuc audeat dicere, iſta miracu-
„ loſe, & non ad inſtar paſſionis Chriſti in
„ beato Franciſco fuiſſe geſta, audiant quod
„ in ejus obitu legitur manifeſte: Reſulta-
„ bat in eo revera forma crucis, & paſſio-
„ nis Agni immaculati, qui lavat crimina
„ mundi, dum quaſi recenter a cruce vide-
„ retur depoſitus, manus & pedes clavis
„ confixos habens, & dextrum latus quaſi
„ lan-

„ lancea vulneratum. Erat in medio ma-
„ nuum & pedum ejus mirabile cernere,
„ non clavorum quidem puncturas, ſed ip-
„ ſos clavos in eis impoſitos, ferri retenta
„ nigredine, ac dextrum latus ſanguine ru-
„ bricatum. „

Hæc Lucas Tudenſis, de quo proinde Waddingus ad ann. 1224. num. XIV. hæc adnotat: „ Omni profecto acceptione dignum,
„ & quavis exceptione majus hoc docti vi-
„ ri, & Epiſcopi Hiſpani teſtimonium, at-
„ que eo certius, & fide dignius, quo ſub
„ hoc ipſo tempore ad ſecundum, vel ter-
„ tium annum a Franciſci morte ſcriptum.
„ Egit enim cum Viri ſancti Sociis, præci-
„ pue cum fratre Elia ſibi familiari, dum
„ Hieroſolymis per Aſſiſium rediret in Hi-
„ ſpaniam, quem proinde ſumme laudat.
„ Adducit etiam in confirmationem horum
„ Stigmatum tunc vivos omnis generis ho-
„ mines, teſtes oculatos, & plagarum con-
„ trectatores. „

Accedit nunc S. Bonaventura, qui anno 1260., poſt trigeſimum quartum videlicet a morte S. Franciſci, iſtius vitam, ſive Legendam conſcripſit, prout ab ejuſdem Sociis,

& aliis

& aliis oculatis teſtibus & ipſe audierat. Sed ut validius ex eo deſumamus argumentum, ſcire juvat, Seraphicum Doctorem tribus in opuſculis ſerio, & ex profeſſo agere de S. Franciſci Stigmatibus, ſcilicet in Legenda Majori, & in Minori, ac in Lectionibus de Canonizatione, & de Translatione ejuſdem S. Viri, paſſim vero in aliis ſcriptis, obiter tamen, & occaſione oblata, ſed ubique ſibi ita ſemper conſtans, ut numquam variaverit, aut everterit, quod ſemel de eodem prodigio narraverat, quidquid in contrarium falſo, ut in præcedenti capite innuimus, de eo venditet Bailletus. Hæc enim varietas, quam Criticus iſte ſibi omnium primus effinxit, falſa omnino depreheditur ex lectione operum S. Doctoris, atque ex horum collatione cum iis, quæ Criticus ipſe conſarcinat, atque ex ea clare etiam quisque percipiet, Bailletum infidelem eſſe tum in reddendis S. Bonaventuræ verbis, cum in recitandis teſtibus validiſſimis, & oculatis ab eo productis, quos antequam ſcriptioni operam daret, Aſſiſium ſe conferens, diligenter expendit, & propriis auribus audivit; Bailleti impoſtura patebit quoque ex verbis Doctoris Seraphici, quæ

nos

„ Diſparens itaque viſio, poſt arcanum,
„ ac familiare colloquium, mentem ipſius ſe-
„ raphico interius inflammavit ardore, car-
„ nem vero Crucifixo conformi exterius in-
„ ſignivit effigie, tamquam ſi ad ignis lique-
„ factivam virtutem præambulam ſigillativa
„ quædam eſſet impreſſio ſubſecuta. Statim
„ namque in manibus, & pedibus ejus ap-
„ parere cæperunt ſigna clavorum, ipſorum
„ capitibus in inferiori parte manuum, &
„ ſuperiori pedum apparentibus, & eorum
„ acuminibus exiſtentibus ex adverſo. Erant-
„ que clavorum capita in manibus, & pedi-
„ bus rotunda, & nigra, ipſa vero acumina
„ oblonga, retorta, & repercuſſa, quæ de
„ ipſa carne ſurgentia, carnem reliquam
„ excedebant. Siquidem repercuſſio ipſa
„ clavorum ſub pedibus adeo prominens
„ erat, & extra protenſa, ut non ſolum plan-
„ tas ſolo libere applicare non ſineret, ve-
„ rum etiam intra curvationem arcualem
„ ipſorum acuminum faciliter immitti vale-
„ ret digitus manus, ſicut ab eis ipſe acce-
„ pi, qui oculis propriis conſpexerunt. Dex-
„ trum quoque latus, quaſi lancea traſfi-
„ xum, rubra cicatrice obductum erat,
„ quod

„ quod ſæpe ſanguinem ſacrum effundens, „ tunicam & femoralia reſpergebat. „ Iiſdem ferme verbis, ut monui, paucis tantum immutatis, rem eamdem refert S. Doctor in Legenda Majori cap. 13. ſcribens: „ Diſparens „ igitur viſio, mirabilem in corde ejus reli„ quit ardorem, ſed & in carne non minus „ mirabilem ſignorum impreſſit effigiem. „ Statim namque in manibus ejus & pedi„ bus apparere cæperunt ſigna clavorum, „ quemadmodum paulo ante in effigie illa „ crucifixi conſpexerat. Manus enim & pe„ des in ipſo medio clavis confixæ vide„ bantur, clavorum capitibus in interiori „ parte manuum, & ſuperiori pedum ap„ parentibus, & eorum acuminibus exiſten„ tibus ex adverſo. Erantque clavorum ca„ pita in manibus, & pedibus rotunda, & „ nigra, ipſa vero acumina oblonga, retor„ ta, & quaſi repercuſſa, quæ de ipſa car„ ne ſurgentia, carnem reliquam excede„ bant. Dexterum quoque latus, quaſi lan„ cea transfixum, rubra cicatrice obductum „ erat, quod ſæpe ſanguinem ſacrum effun„ dens, tunicam, & femoralia reſperge„ bat. „

Eam

Eamdem uniformitatem in exprimenda Stigmatum natura nedum ſervat Seraphicus Doctor in decurſu utriuſque Legendæ, ubi agit *de tranſitu mortis S. Franciſci*, ſed etiam in lectionibus prædictis *de Canonizatione*, & *de Translatione* ejuſdem, ut infra patebit. Nunc ut magis magiſque pateat, ipſum, ut dicebamus, firmiter veritatem impreſſionis ſacrorum Stigmatum ſemper crediдiſſe, numquam in hac fide hæſitaſſe, aut jam dicta retractaſſe, nonnulla adhuc afferemus ejus teſtimonia, quæ de ipſis Stigmatibus paſſim in aliis ſuis operibus ipſe reddit. In Prologo opuſculi, cui titulus ' *Itinerarium mentis in Deum*, hæc habet: „ Cum exemplo beatiſſimi „ Patris noſtri Franciſci hanc pacem anhelo „ ſpiritu quærerem, ego peccator, qui loco „ illius Patris beatiſſimi poſt ejus tranſitum „ ſeptimus generali fratrum miniſterio per „ omnia indignus ſuccedo, contigit, ut nutu „ divino, anno poſt ipſius beati Patris tranſitum trigeſimo tertio, ad montem Alvernæ tamquam ad locum quietum, amore „ quærendi pacem ſpiritus declinarem, ibique exiſtens, dum mente tractarem aliquas „ mentales aſcenſiones in Deum, inter alia

„ oc-

„ occurrit illud miraculum , quod in prædi-
„ cto contigit loco ipſi beato Franciſco , de
„ viſione videlicet Seraph alati crucifixi . . .
„ Qui etiam adeo mentem Franciſci abſor-
„ buit , quod mens in carne patuit , dum ſa-
„ cratiſſima paſſionis Stigmata in corpore ſuo
„ ante mortem per biennium deportavit . „
Capite vero 7. ejuſdem opuſculi addit . „ Quod
„ etiam oſtenſum eſt beato Franciſco cum in
„ exceſſu contemplationis in monte excelſo ,
„ ubi hæc , quæ ſcripta ſunt , mente tractavi ,
„ apparuit Seraph ſex alarum in cruce confi-
„ xus , ut ibidem a Socio ejus , qui tunc cum
„ eo fuit , ego , & plures alii audivimus . „
Sermone 10. *de Diverſis* , qui eſt *de Translatione S. Franciſci* , num. 3. ſcribit : „ Jam
„ conſignatus Chriſti Stigmatibus glorioſis ; „
& num. 11. ſubdit : „ Ex Ægypto volentes
„ exire , ſecure hunc ſequantur , in quo ap-
„ parent divina Stigmata clara luce . „ Ser-
mone 11. *de S. Franciſco* pertractans de amore , quo cor iſtius ardebat , num. 10. inquit
„ Non ſolum in Chriſtum animam transfor-
„ mavit , & ei perfecte aſſimilavit , ſed in
„ tantum redundavit , quod eum Stigmatibus
„ conſignavit . „ In Epiſtola „ *ad quemdam Pro-*

Provincialem Miniſtrum, ſic fidenter de ipſis Stigmatibus loquitur: „ Charitatis tuæ „ zelum, quantum poſſum, efficaciori man- „ dato duxi præſentibus excitandum, adju- „ rans te per aſperſionem ſanguinis Crucifi- „ xi, & per Stigmata paſſionis ejus, quæ in „ ſacro Patris noſtri corpore indubitabili cla- „ ritate fulſerunt. „ Alibi quoque Stigmatum prodigium ipſe commemorat, ac ita indubitanter de ipſo ſcribit, ut ad litteram de S. Franciſco intellexerit illud Apocalypſis cap. 7. „ Vi- „ di alterum Angelum aſcendentem ab ortu „ ſolis, habentem ſignum Dei vivi „ Chriſti nimirum Stigmata, quod poſt ipſum alii quoque de eodem Seraphico Patre intellexerunt, uti S. Bernardinus Senenſis Serm. 3. *de Stigmatibus beati Franciſci*, & Leo X. in ſua Bulla, *Ite & vos*. Imo S. Bonaventura etiam miraculis veritatem ſacrorum Stigmatum probat, & confirmat. Etenim in Legenda Minori lect. 5. *de Stigmatibus ſacris*, ait: „ Porro „ licet Vir ſanctus, & humilis ſacra illa ſi- „ gnacula omni diligentia ſtuderet abſconde- „ re, Domino tamen complacuit ad gloriam „ ſuam mirabilia quædam aperta per illa mon- „ ſtrare, ut dum illorum vis occulta per ſigna

„ clara pateſceret, inter denſas caliginoſi ſæ-
„ culi tenebras ut ſidus præfulgidum radia-
„ ret. „ Hinc tum in hac ipſa lectione, tum in aliis tribus ſequentibus miracula ipſa ſingillatim recenſet, atque ſic octavam concludit: „ Ex quo luculenter apparet, quod ſa-
„ cra illa ſignacula illius fuerunt impreſſa
„ potentia, & prædita ſunt virtute, cujus eſt
„ vulnera infligere, medelas afferre, obſti-
„ natos percutere, contritoſque ſanare. „

Hæretici, ut advertimus in præfatione, miracula hæc irrident, & falſa eſſe prædicant, quod advertit etiam Raynaldus ad an. 1226. num. LI. ubi poſt allata quæ S. Bonaventura habet de morte S. Franciſci, addit; „ Hactenus S. Bonaventura (cujus verba ex-
„ ſcripſit Jordanus) poſt hæc vero de ipſo
„ agit inter Sanctos relato, ac multa egregia
„ miracula ſubjicit, ex quibus nonnulla No-
„ vatores (Centuria 13. col. 1173.) quæ
„ more ſuo in ludibrium trahunt, centuriis
„ ſuis intexuere. „ At id nos haud movere debet, cum ipſi poſt Joannem Clericum, negantem miracula a S. Auguſtino relata, de omnibus prodigiis ab Eccleſia Catholica receptis edicere non vereantur: „ Hæc

„ illo

„ illo ævo ſtratagemata erant Eccleſiaſtica,
„ quibus plebeculæ fucus fiebat „. Ita Clericus, cui reſpondens Muratorius de Ingen. moderat. lib. 1. cap. 2. inquit: „ Ingenioſam
„ profectо methodum, qua ſe ab adverſariis
„ cito litigator expediat. Quando rationes
„ urgent, nullusque alius exitus datur, fa-
„ cta ipſa, quamquam luce clariora, ne-
„ gantur „ ut in caſu noſtro faciunt Centuriatores, & alii. „ Deus „ proſequitur Muratorius, & nos cum ipſo ad rem noſtram,
„ pro errore mirabilia non operatur, utpote
„ qui decipere nos neque poſſit, neque velit;
„ Eccleſia Catholica miraculis etiam, quod
„ hæreticis non contingit, fidem ſuam tue-
„ tur. Ergo ab hæreticorum patronis res ipſa
„ neganda fuit „ uti negant miracula, virtute Stigmatum S. Franciſci patrata, & a S. Bonaventura collecta, & recenſita. Sed nos huic, non hæreticis aſſentimur, atque expectantes, ut falſa hæc, ſi ſapiunt, rationibus oſtendant, necnon ut Bailletus cum ſuis locum aliquem S. Doctoris, fideliter tamen exſcriptum, in medium proferat, in quo hic vel retractet, vel evertat ſemel dicta de ſacris Stigmatibus, aut aliquo modo vacillet in iſtorum narratio-

ne, eorumdem veritatem ex aliis auctoribus quaſi coævis comprobare proſequimur.

Duo hic ſeſe offerunt ſummi Eccleſiæ Paſtores, Nicolaus videlicet Tertius, & Quartus, qui ambo eodem floruere ſæculo, quo S. Franciſcus vixit, & deceſſit. Horum primus, qui ſolis quinquaginta annis poſt Seraphici Patris obitum ad Pontificatum fuit evectus, in diplomate, *Convenientibus vobis*, Minorum Ordinem extollens ait: „ Hic eſt „ fons ſcientiarum fluenta ſcaturiens, ſignatus paupertatis inſigniis, & in ſui primo „ Inſtitutore Chriſti Stigmatibus inſignitus. „ In Decretali vero, *Exiit*, Fratrum Minorum Regulam exponens, inquit: „ Hæc eſt, cui, „ atteſtante Paulo, nemo de cetero debet eſ„ ſe moleſtus, quam Chriſtus paſſionis ſuæ „ Stigmatibus confirmavit, volens Inſtituto„ rem ipſius paſſionis ſuæ ſignis mirabiliter „ inſigniri. „ Nicolaus vero IV. in ſuis litteris, *Cum ad aures noſtras*, datis anno 1291. poſt annos videlicet ſexaginta quinque a morte S. Franciſci, ita rem noſtram declarat: „ Hoc diligenter attendimus, quod Sancta „ Romana Eccleſia de beato Franciſco, & „ Stigmatum ejus infixione ſollicita, illa in

„ car-

„ carne ipſius non ſuperficialiter, ſed in in-
„ teriora per carnem, & nervos, & oſſa in
„ quinque partibus, manuum, pedum, &
„ lateris, in certos, & congruos fines in-
„ greſſa, itaut non virtute naturæ, ſed mi-
„ raculoſo gratiæ dono ſic fieri, vel eſſe po-
„ tuerit, per teſtes legitime comprobatum
„ accepit, & ut ſic de Stigmatibus ipſius bea-
„ ti Franciſci teneatur, & venerabiliter ob-
„ ſervetur, irrefragabili ſanctione firma-
„ vit .... Quæ quidem, vivo adhuc ipſo Con-
„ feſſore, ac poſtmodum diem functo, hu-
„ manis oculis, & tactui patentiſſime clarue-
„ runt &c. „

Matthæus Pariſius, Monachus Cluniacenſis, natione Anglus, qui ſcribebat ante annum 1259. quo obiit, quique in Hiſtoria Maj. Angliæ ad ann. 1227. ex vulgo rem narrat, ut ajunt Bolland. tom. 2. Octobris loco in priori capite laudato num. 564. Stigmatum hiſtoriam ſic deſcribit: „ Quintadecima die
„ ante S. Franciſci mortem apparuerunt vul-
„ nera in manibus ejus, & pedibus, ſangui-
„ nem jugiter emittentia, ſicut in mundi
„ Salvatore in ligno pendente apparuerant,
„ cum crucifigeretur a Judæis. Latus quo-

„ que ejus dextrum adeo apertum, & cruore „ reſperſum apparuit, ut etiam ſecreta cor- „ dis intima perſpicua viderentur .... Quo „ defuncto, nulla vulnerum prædictorum in „ latere, vel pedibus, ſive manibus Stigma- „ ta remanſerunt. „ Multa falſa hic referre Pariſium, tum ex dictis, tum ex dicendis evidenter conſtat. Quamquam vero in aliquibus facti circumſtantiis plurimum diſcrepet a Scriptoribus coævis, etiam oculatis, & ab aliis quaſi coævis, ejus tamen teſtimonium non omittendum putavi, quia nos certos utcumque reddit de veritate ejuſdem facti, quod adeo celebre, & ſolemne ex hoc ipſo apparet, ut ejus fama intra breve tempus longe lateque diffuſa, in Angliam uſque per os vulgi pervenerit. Ultimo tandem, ne infiniti ſimus in aliis recenſendis, quorum aliquot alibi opportune indicandi erunt, unum audiemus Jacobum de Voragine Dominicanum, mox Epiſcopum Januenſem, natum circa annum 1230. defunctum anno 1289. qui de S. Franciſci Stigmatibus ita ſcribit Serm. 3. de iiſdem: „ In viſione Dei ſervus „ ſupra ſe Seraphim crucifixum aſpexit, qui „ crucifixionis ſuæ ſigna ſic ei evidenter im-

preſ-

„ preſſit, ut crucifixus videretur & ipſe.
„ Conſignantur manus, & pedes, & latus
„ crucis charactere, ſed diligenti ſtudio ab
„ omnium oculis ipſa Stigmata abſcondebat.
„ Quidam tamen hæc in vita viderunt, ſed
„ in morte plurimi conſpexerunt. „ Alia
plurima habet ibidem auctor iſte, ſed quoniam verbis ejus abutitur Joannes Baptiſta Thiers, idcirco de eo alibi redibit ſermo, ibique reliqua ejuſdem verba proferemus. Interim concludimus, quod ſi ut credamus auctori factum hiſtoricum narranti, Criticorum nonnulli tempus ab hoc ad auctorem uſque elapſum „ tribus, aut quatuor generationibus
„ circumſcribunt, quidam centum annis,
„ multi circiter ducentis „ ut adnotat pluries laudatus P. Honoratus tom. 2 diſſert. 2. multo magis credendum erit deſuper allatis, & quia omnes paucis annis a S. Franciſco diſtant, eique proinde ſunt quaſi contemporanei, & quia quæ de ſacris Stigmatibus referunt, narrantur quoque a teſtibus coævis in priori capite adductis, & a teſtibus oculatis in ſequenti adducendis.

CAPUT III.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci teſtibus demonſtratur, qui eadem dum Sanctus viveret vel oculis viderunt, vel manibus palparunt.

SI Critici noſtri, quique S. Franciſci Stigmata falſa, & conficta eſſe volunt, teſtibus coævis, vel quaſi coævis aſſenſum præſtare detrectent, licet horum teſtimonium, juxta regulas ab ipſiſmet Criticis conſtitutas, ſatis ſuperque ſufficiat ad factum hiſtoricum comprobandum, ad teſtes oculatos ejuſdem facti nunc eos provocamus.,,Tutius enim eſt,, inquit Honoratus a S. Maria tom. 1. diſſert. 7. art. 9. §. 1. reg. 4. ,, auctorem audire, qui, quæ ,, nunciat, ſe vidiſſe affirmat.,, Et ſane, cui credendum erit, vel quæ erit humana fides, ſi aſſenſus denegetur aſſerenti, ſe rem, quam refert, propriis oculis vidiſſe, aut manibus palpaſſe, vel teſtes proferenti, & quidem oculatos, qui adhuc vivebant, dum auctor eos advocat in teſtimonium ejuſdem rei? Huic pro-

profecto fides neceſſario habenda eſt, niſi Pyrrhonici in hiſtoria eſſe velimus, quia ſi illis aſſentiendum non eſt, qui teſtantur, ſe conſpexiſſe quod narrant, vel eis, qui ſuæ narrationis teſtes proferunt adhuc vivos, dum ipſi ſcribunt, ac ſuis oculis rem a ſe relatam hos intuitos eſſe dicentes, jam nullus erit auctor, cui credere debeamus, atque adeo in continua rerum hiſtoricarum incertitudine, vel dubitatione verſabimur. Teſti proinde oculato credere debemus, ac pro teſtibus oculatis & illi habendi ſunt, qui cum adhuc eſſent in humanis, citati ab aliis tamquam teſtes oculati alicujus facti, huic minime contradixerunt, cum poſſent, nec de impoſtura adverſus relatorem iſtius conqueſti ſunt. Cum ergo S. Franciſci Stigmata, tum ipſo vivente, cum poſt mortem ejus præſertim ita comperta fuerint, & ſenſibus patentia, ut de ipſis oculi, & manus adſtantium judicium ferre potuerint, fides habenda eſt auctoribus, ea ſe vidiſſe, & manibus palpaſſe fatentibus, vel affirmantibus, alios eadem inſpexiſſe, & contrectaſſe, qui mortales adhuc erant, dum auctores ipſi hoc eorum utebantur teſtimonio. Si namque incredibile videtur, alicujus inte-

gri-

gritatis hominem, ut capite primo dictum eſt, facta narrare voluiſſe, quæ a ſcriptoribus ejuſdem ætatis falſa demonſtrari poterant, multo minus credibile eſt, ſcriptis mandare voluiſſe factum, hominumque tunc vivorum teſtimonio comprobare, aſſerendo nimirum, hos eidem præſentes fuiſſe, ac ſenſibus ipſum dijudicaſſe, qui ſtatim contradicere, totamque narrationem fabuloſam, & fictam demonſtrare valebant. „ Mente ſane, atque intelli-„ gentia vacare arbitrarer „ ait Honoratus loco nunc laudato „ auctorem illum, qui fa-„ ctum confinxiſſet, de cujus ſtatim menda-„ cio, & fraude redargui poſſet „ a teſtibus præcipue a ſe adductis tamquam oculatis, ut in caſu noſtro.

Si namque unum excipias Matthæum Pariſium, quotquot Stigmatum hiſtoriam ſerio, & ex profeſſo narravere ſcriptores, omnes unanimiter affirmant, S. Franciſcum veris Stigmatibus, in vita, & poſt mortem ejus inſpectis, & contrectatis, inſignitum fuiſſe biennio antequam ſpiritum redderet cælo. Quare cum Vir Seraphicus ſignacula ſummi Regis in ſua carne geſtaverit per duos annos, & dies aliquot, intra ſpatium temporis tam longum

a plu-

a pluribus ea conſpici, & contrectari debuerunt „ licet ipſe „ ut ſcribit S.Bonaventura in Legend. Maj. „ theſaurum inventum in agro „ multa diligentia ſtuderet abſcondere, & „ manus quaſi ſemper portaret contectas, & „ pedibus extunc incederet calceatis „. Et re quidem vera, S. Franciſcus poſt recepta Chriſti vulnera nec a ſuorum converſatione, & familiaritate, nec ab hominum conſpectu, & conſortio receſſit, in antris & cavernis terræ ſeſe occultando, ſed palam cum ſuis quotidie converſatus eſt, ac ſæpe etiam cum aliis, ut in Legend. Min. de eo refert Seraphicus Doctor. Imo, eodem fatente „ ſalutem ſitiens „ omnium ſalvandorum, quia propter ex„ creſcentes in pedibus clavos ambulare non „ poterat, faciebat corpus emortuum per ci„ vitates, & caſtella circumvehi „ & quidem aſello vectum, uti ſcribit cum aliis auctor Novi Dialogi Sacr. Montis Alvernæ lib. 1. cap. 8. edit. Florentinæ ann. 1568. Hinc propterea cum populi viderent Seraphicum Virum, præter morem, & Regulam a ſe traditam, calceatum, & ſuper aſellum circumduci, de Stigmatum impreſſione in ejus corpore facta admonebantur, ac certiores fiebant.

bant. In eadem Legend. Min. *de Tranſitu mortis* idem Seraphicus Doctor Lect. 4. „ *de Stigmatibus ſacris* , hæc addit : „ Cernens
„ autem vir Deo plenus, quod Stigmata car-
„ ni tam luculenter impreſſa Socios familia-
„ res latere non poſſent, timens nihilominus
„ publicare Domini ſacramentum , in ma-
„ gno poſitus fuit dubitationis agone , utrum
„ quod viderat, diceret, vel taceret. Com-
„ pulſus tamen conſcientiæ ſtimulo, quibuſ-
„ dam ex fratribus intimioribus ſibi cum mul-
„ to timore ſeriem retulit viſionis. „ Occulta igitur, ac penitus abdita per duos annos, & dies, quacumque Sancti Viri diligentia non obſtante, Stigmata illa ſacra eſſe nequiverunt, quin ſaltem ab intimioribus fratribus, aliiſque eidem familiaribus perſonis probarentur, imo ab his inſpecta, & manibus palpata fuiſſe cum auctoribus id aſſerentibus fatendum eſt, & infra demonſtrabitur.

De Stigmatibus namque manuum, & pedum ſcribit idem S. Bonaventura in præcitata Legend. Maj. cap. 13. „ Viderunt, dum
„ viveret, fratres plurimi ; viderunt etiam
„ ex familiaritate, quam cum Viro Sancto
„ habebant, aliqui Cardinales ; Summus
„ etiam

„ etiam Pontifex Dominus Alexander, cum „ populo prædicaret coram multis fratribus, „ & me ipſo, affirmavit, ſe, dum Sanctus „ viveret, Stigmata illa ſacra ſuis oculis conſpexiſſe „. De vulnere autem laterali ſic proſequitur. „ Vulnus autem lateris tam ſollicite occultavit, ut illud nemo poſſet, niſi „ furtim contueri dum viveret. Unus etenim frater, qui ei ſedule miniſtrare ſolitus „ erat, cum pia eum cautela, ut ad excutiendum extraheret tunicam, induxiſſet, „ attente reſpiciens vidit plagam, cui etiam „ tres veloci contactu digitos applicans, tam „ viſu, quam tactu vulneris quantitatem agnovit. Conſimili cautela vidit etiam frater „ ille, qui tunc temporis erat Vicarius ejus. „ Frater vero ſocius mirandæ ſimplicitatis, „ dum infirmitatis cauſa languentes ſcapulas „ contrectaret, manu per caputium, & caſualiter vulneri ſacro illapſa, magnum ei „ dolorem inflixit. Proinde portabat extunc „ femoralia ita facta, ut uſque ad aſcellas „ pertingerent ad vulnus lateris contegendum. Fratres quoque, qui illa lavabant, „ vel tunicam excutiebant pro tempore, „ quia inveniebant ea ſanguine rubricata,

„ in-

„ indubitanter per evidens ſignum in cognitionem ſacri vulneris pervenerunt„ . Idipſum ſcripſerat antea Fr. Thomas a Celano, Seraphici Patris, ut diximus, Diſcipulus, & Socius, tum in Legenda antiqua, cum in altera ampliori, quam poſtea adornavit. In priori namque ita ſcribit: „ Heu! quam pau-
„ ci, dum viveret crucifixus Servus Domini
„ Crucifixi, ſacrum lateris vulnus cernere
„ meruerunt. Sed felix Elias, qui, dum vi-
„ veret Sanctus, utrumque illud videre me-
„ ruit, ſed magis felix Ruffinus, qui propriis
„ manibus contrectavit. Etenim vero cum
„ ſemel dictus frater Ruffinus manum ſuam
„ in ſinum Sanctiſſimi Viri (infirmi) ut eum
„ ſcalperet, immiſiſſet, dilapſa eſt manus
„ ejus, ut ſæpe contingit, ad dextrum latus
„ ipſius, & occurrit illi pretioſam illam con-
„ tingere cicatricem, ad cujus contactum
„ Sanctus Dei non modicum doluit, & ma-
„ num a ſe repellens, ut ei parceret Domi-
„ nus, acclamavit. Studioſiſſime namque
„ abſcondebat hoc ab externis, celabat cau-
„ tiſſime a propinquis, itaut & tolerabiles
„ fratres, & eius devotiſſimi ſecutores, hoc
„ per multum temporis ignorarent.

Quæ

Quæ de fratre Ruffino hic narrantur, fuſſe leguntur etiam in pervetuſto opere, cui titulus, *Speculum Vitæ beati Franciſci, & Sociorum ejus*, ubi auctor ponit, & abſolvit hoc argumentum: *Quomodo beatus Ruffinus vidit, & tetigit plagam lateris S. Franciſci*. Eadem habent Dominus Joannes de Ceperano, Anglicus, qui Legendam Celani ad metrum reduxit, Tres Socii S. Franciſci, & alii vetuſtiſſimi ſcriptores Seraphico Patri contemporanei. Hi namque omnes unanimiter conveniunt in recenſendis teſtibus, qui Stigmata S. Franciſci viventis vel oculis viderunt, vel manibus palparunt, horumque omnium dicta confirmat, ut audivimus, S. Bonaventura. Sed frater Ruffinus, Elias, & alii, qui dicta Stigmata & vidiſſe, & contrectaſſe dicuntur, vivebant eo tempore, quo Celanus, & alii ſcribebant, & Stigmatum hiſtoriam eorum auctoritate, & teſtimonio comprobabant, & nedum non reclamarunt, ſed ſcriptis quoque, & palam vulnera ipſa faſſi ſunt, ut ſuo loco ponderabimus. Interim quis credat, hiſtoricos iſtos tantæ impudentiæ fuiſſe, ut homines adhuc vivos propriis nominibus indigitare potuerint, hoſque tamquam teſtes ocu-

oculatos proferre in propriæ narrationis confirmationem, a quibus falſitatis, & impoſturæ illico revinci, & accuſari poterant? Quis, inquam, id ſibi ſuadeat, maxime de Thoma Celanenſi, de cujus Legenda ſcribunt Bollandiani: „ Præclara admodum Vita eſt, ſcrip-„ torem præferens doctum, & pium,„ ut etiam capite primo audivimus? Bernardus a Beſſa, ut ibi pariter adnotavimus, hanc tanti fecit, ut eam ad compendioſiorem formam reduxerit, & Anglicus laudatus ad metrum gravis, & docti carminis heroici. At quæ de Celani integritate in ſcribendo certos nos faciunt, quemlibet ſuadere debent animum docilem, præjudiciis minime abreptum, etiam de aliorum ſcriptorum probitate, S. Bonaventuræ præſertim, ac Trium Sociorum S. Franciſci, hominum videlicet ſanctitatis fama longe lateque illuſtrium. Hi omnes eorum, quæ ſcribunt, teſtes proferunt oculatos, eotunc viventes, qui nedum non contradixere, ſed relata ab illis, ut dicebam, publice confirmaverunt; imo eorum aliqui Stigmata ipſa, quæ calamo deſcribunt, propriis oculis viderunt, & manibus palparunt. Frater Elias in Epiſtola de morte Sanctiſſimi Iſtitutoris, capite pri-

primo relata, quinque plagas eum in corpore ſuo geſtaſſe luculentiſſime ſcribit. Frater Ruffinus idipſum aperte narrat in Legenda Trium Sociorum, quorum unus ipſe fuit. Cardinales, qui conſpexiſſe dicuntur vulnera illa ſacra in carne S.Franciſci viventis, tam verbo, quam ſcripto teſtimonium veritati perhibuerunt, *laudes ſacrorum Stigmatum*, ut ait S. Bonaventura cap. 13. Legend. Maj. „ proſis, & hymnis, & antiphonis, quas ad „ S. Franciſci ediderunt honorem, vera- „ citer inſerentes.„ Fuerunt hi Hugolinus, poſtea Summus Pontifex Gregorius IX. Raynerius Capoccius Viterbienſis, Thomas Capuanus, & Stephanus de Caſa, ſive de Foſſa nova, omnes electi ab Innocentio III. atque Otho Candidus, ſive Blancus, creatus a Gregorio IX. de quibus fuſius, ubi argumenta proferemus ex Actis deſumpta Canonizationis Seraphici Patris.

Alexander IV. præterquamquod faſſus eſt publice dum prædicaret coram multis fratribus, & ipſomet relatore S. Bonaventura, „ ſe, dum Sanctus viveret, Stigmata illa „ ſacra conſpexiſſe „ ac præter ea, quæ habet in Conſtitutionibus capite primo relatis,

Digitized by Google

idipſum fatetur etiam in aliis duabus, *Benigna operatio*, &, *Grande & Singulare*. In harum ſiquidem prima poſt deſcriptam Stigmatum S, Franciſci naturam ita proſequitur: „ Sane de præfato Sancto hæc certius aſ-„ ſerentes, indoctas fabulas, ſeu vanæ inven-„ tionis deliramenta non ſequimur, cum ea „ nobis dudum nota fecerit plenior fides re-„ rum, quando videlicet in minoribus con-„ ſtituti, Confeſſoris ejuſdem familiaritatem „ ex munere divino meruimus habere noti-„ tiam, præfati prædeceſſoris noſtri (*Grego*-„ *rii IX.*) domeſticis obſequiis tunc tempo-„ ris inſiſtendo. „ In altera vero clarius etiam idem repetit, dicens; „ Gregorius Papa IX. „ prædeceſſor noſter clara ſua inſinuatione „ litterarum expreſſit, quod idem Sanctus „ cum adhuc ſpatium præſentis vitæ percur-„ reret, & poſtquam illud feliciter conſum-„ mavit, in manibus, latere, & pedibus ſpe-„ cie Stigmatum divinitus extitit inſignitus. „ Cum igitur tam inſigne amoris Dei ſignum, „ quod utique ante ejus obitum patuit, & „ Nobis etiam tunc notum fuit, eodem præ-„ deceſſore in minori adhuc officio conſtituto „ &c. „ Sed non eſt cur plura de teſtimonio ocu-

oculato Alexandri IV. dicamus, cum & ipſi Centuriatores Magdeburgenſes, ut vidimus in præfatione, ipſum agnoſcant, & fateantur, licet in crimen vertant tanti Pontificis, dicentes: „ Ipſe demum Alexander IV. Pon„ tifex publice, ſe oculis ea ſuis conſpexiſ„ ſe, non veritus eſt dicere. „

Præter hos autem, alios plures vidiſſe Stigmata S. Franciſci viventis, hujus vitæ ſcriptores omnes fatentur, unde ex Divo Bonaventura ſcribit Waddingus ad ann. 1224. num. XVIII. „ Illa inſpexerunt unus ex fra„ tribus, Joannes de Laude dictus, qui ei „ ſedulo miniſtrare ſolebat; & frater Leo, „ Viri Sancti ſocius, admirandæ ſimplicita„ tis. „ De fratre Joanne prædicto idipſum referunt etiam auctor Dialogi antiqui, & auctor Dialogi novi Sacri Mont. Alver. lib. 1. cap. 8. ubi eadem conſpexiſſe ait etiam fratrem Pacificum de Marchia. Refert id etiam pervetuſtus ſcriptor *Provincialis Ord. fratr. Min.* ſive auctor *Polychronici Jordanis*, deſumpti ex Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ num. 1960. fol. 23., in quo verba faciens de Conventu Bictonii, qui ab eo notatur quintus Cuſtodiæ Aſſiſienſis in Provincia Umbriæ „ Bictonium,

inquit „ ubi quieſcit frater Joannes de Lau-
„ dibus, qui, vivente beato Franciſco, ejus
„ laterale vulnus tangere meruit: „ De fratre autem Leone in antiquo opere inſcripto, *Speculum Vitæ B. Franciſci, & Sociorum ejus* ipſe fuiſſe dicitur cum eodem S. Franciſco in monte Alvernæ, cum hic ſacris Stigmatibus ibi fuit obſignatus. Sub titulo vero, *Modus Stigmatizationis S. Franciſci*, poſt hujus deſcriptionem, aliquantulum in aliquibus circumſtantiis ab aliis diverſam, in eodem Speculo legitur: „ Beatus autem Fran-
„ ciſcus jacuit in terra, uſque ad horam no-
„ nam. Tunc frater Leo ſuperveniens, &
„ videns proſtratum, levavit eum, putans
„ ex abſtinentia defeciſſe; & ſic ab illa hora
„ S. Franciſcus ſcilicet occulte, ut potuit,
„ illa ſacra Stigmata in corpore portavit ....
„ Ex illo die non lavabat manus ſuas ſicut an-
„ te, ſed tantum digitos. „ De fratre Leone etiam Bartholomæus Piſanus, qui cum prope centenarius obierit anno 1401. eos alloqui potuit, qui cum S. Franciſci Sociis converſati fuerant, libr. 1. Conformit. fruct. & conformit. 8. ita ſcribit: „ Hic frater Leo cum
„ beato Franciſco erat in monte Alvernæ,
„ quan-

„ quando Dominus Stigmata ipſi beato Fran-
„ ciſco impreſſit. Huic ſoli fratri Leoni bea-
„ tus Franciſcus ſua Stigmata committebat
„ tangenda, & novis peciolis etiam mutanda,
„ quas qualibet die hebdomadæ inter clavos
„ illos mirabiles, & carnem reliquam ad re-
„ tinendum ſanguinem, & mitigandum do-
„ lorem renovabat, excepto die Jovis de
„ ſero, & per totum diem Veneris, in quo
„ nullum remedium volebat apponi, ut
„ amore Chriſti eo die crucifixi, cum ipſo
„ penderet.„ Eadem omnino refert etiam
auctor antiqui Dialogi Sacri Montis Alver-
næ, & ex eo auctor Novi loco citato, ubi
ulterius addit, quod ex hiſce linteolis ſangui-
ne madefactis adhuc aſſervantur aliquibus in
locis, ut Aſſiſii in Eccleſia S. Damiani in
Cruce quadam argentea inter Reliquias, &
in templo S. Georgii, nunc S. Claræ ejuſdem
civitatis, cuſtodiri ſcribit camocium, quo
Seraphicus Pater utebatur ad mitigandum do-
lorem vulneris lateralis, quodque ſcriptor
Dialogi antiqui apud auctorem Novi, pro-
priis oculis ſe vidiſſe affirmat.

Hinc Waddingus ad ann.1224. n.XVIII.
tum de petiolis iſtis, cum de calceis, quos

adhibebat Sanctus Stigmatibus affectus, ſic narrationem inſtituit: „ In Eccleſia S. Geor-
„ gii Clariſſarum Aſſiſii vidi adhuc ſervari
„ quoddam genus cataplaſmatis, ſeu empla-
„ ſtri, vulgo italico antiquo camocium di-
„ ctum, quod ad leniendum dolorem, &
„ ſanguinem retinendum, Viro Sancto fecit
„ Virgo ſanctiſſima Clara; ſimiliter & cal-
„ ceos, ejuſdem Virginis induſtria ita factos,
„ ut ſuperiorem pedum partem, ne videre-
„ tur, cooperirent, & inferiorem ita a terra
„ elevarent, ut prominentes clavorum cuſ-
„ pides greſſum non omnino impedirent. „
Ac ita ſane eſſe, & fieri debebat duorum annorum, & dierum ſpatio, proindeque vulnera illa ſacra neceſſario videri, & contrectari debuerunt, ut linteola ſcilicet, & ſimilia eis vel ad refrigerium, vel ad ſanguinem aut continendum, aut abſtergendum applicarentur. Id autem præcipue neceſſarium fuit pro laterali plaga, ex qua tam copioſe perſæpe cruorem effluxiſſe, ut & ipſa eo reſpergerentur indumenta, ſcriptores omnes, uſque modo recenſiti, luculenter affirmant. Quare idem Waddingus loco mox laudato num. XII., tot fultus teſtimoniis, aſſerere non dubitavit:

„ E

„ E lateris vulnere ſtillabat ſanguis, non adeo
„ minutim ſemper, nec per guttas, ſed in
„ tantum ſæpe, ut beati Viri tunica, & ſub-
„ ligaculum cruore infectaituberent. Colle-
„ gerunt Socii ex hoc ſanguine quod pote-
„ rant, magno ſtudio, & reverentia in am-
„ pullis eum ſervantes. Una habetur in Con-
„ ventu Caſtri veteris Patrum Conventualium
„ Cuſtodiæ Aquilanæ, ex qua bonam partem
„ ſanguinis magnis precibus,pioque aſtu acce-
„ pit triginta quatuor ab hinc annis excellen-
„ tiſſimus Dominus Dux Cæſius & Aquaſpar-
„ tanus, qui magna ſolemnitate per publicas
„ plateas in ſolemni & numeroſa ſupplica-
„ tione fratrum, & candidatorum Archicon-
„ fraternitatis Stigmatum, quorum multi vi-
„ ri nobiles, & Principes, circumfertur quo-
„ tannis hic in Urbe in ipſa ſolemnitate Stig-
„ matum, magno miraculo illo die ebulliens,
„ & liquefactus, ut etiam evenit alteri par-
„ ti, quæ remanſit in loco Caſtri veteris.
„ Porro hanc Romanam, quam præ manibus
„ habui, ſingulari in reverentia apud ſe ſer-
„ vat excellentiſſimus heros præfatus. „ Nunc
autem dictis confratribus dono data ab iſtius
ſucceſſoribus, & hæredibus, in Eccleſia Stig-

matum religioſiſſime cuſtoditur, & defertur per vias, & plateas Urbis in feſto S. Matthæi Apoſtoli a Miniſtro Generali totius Ordinis fratrum Minorum. Harum ampullarum altera extat item Romæ, coliturque in Eccleſia S. Mariæ de Capitolio, vulgo Aracæli, Minorum de Obſervantia, & ſingulis annis publice exponitur die quarta octobris S. Franciſco ſacra. Hanc ſpecialiter adoravit Summus Pontifex, Pater, & Dominus noſter Pius Papa VI. anno 1774., tunc adhuc Cardinalis, cum, ingreſſurus die ſequenti Conclave, in quo ipſemet ad Petri Cathedram feliciter evectus fuit, in ſero ſolemnitatis Seraphici Parentis ad Eccleſiam prædictam de Capitolio reverenter acceſſit, ſicuti pro ſua pietate, & ſingulari devotione quotannis accedit, eadem ſolemnitate recurrente, Miſſamque celebrat ad S. Franciſci aram, in qua prædicta ampulla cum ſanguine ſolemniter expoſita conſpicitur.

Si ergo Stigmata illa ſacra per duos annos, & dies, quos Vir Sanctus eiſdem ornatus hic duxit mortalis, adeo comperta fuerunt, ut oculis videri, & manibus palpari potuerint, ac plurimi revera ea vel ſe vidiſſe,

& pal-

& palpaſſe fatentur, vel ab aliis viſa, & palpata fuiſſe ſcribunt, quin iſti, adhuc viventes dum hæc dicebantur, ſeſe oppoſuerint, impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci, juxta regulas critices, vera eſt, & indubitata. Imo eo certior, quo ipſimet citati ab auctoribus ut oculati teſtes, nedum, ut dicebam, non contradixerunt, ſed rem ſubinde ita eſſe etiam juramento firmarunt. Etenim ex capite immediate ſequenti, & ex alio conſtabit, fere omnes ut teſtes oculatos adductos, examinatos in cauſa canonizationis Viri Seraphici, tactis ſacroſanctis Evangeliis ea omnia confirmaſſe, quæ vel ipſimet, vel alii de ipſis de Stigmatibus iſtius ore dixerant, aut litteris conſignaverant. Dicet quis noſtri ſæculi naſutus criticus, teſtes prælaudatos fratres fuiſſe, & S. Franciſci diſcipulos, ac proinde ſuſpectos eſſe ac debiles ad fidem faciendam, & ad Stigmatum veritatem extra omne dubium collocandam. At nos reponimus in primis, moderni hujus cavillationem periculoſam eſſe, utpote quæ anſam præbeat infidelibus impie argumentandi contra Chriſtum ipſum, ejuſque vitam, & fidem, inquiendo nimirum, quæ ſcribunt Evangeliſtæ omnino certa non eſſe,

quia

quia iſti familiares, & diſcipuli fuerunt ipſius Chriſti. Secundo addimus, quod ſi pro S. Franciſci Stigmatibus teſtimonium ſumendum non eſt ab ejus diſcipulis, & ſociis, ab iis nempe, qui præ aliis rem ſcire poterant, quam Vir humillimus pro viribus ocultabat, profecto non video a quo alio certius, & validius ſumi queat. Tertio dicimus, teſtes, & ſcriptores, qui S. Franciſci Stigmatibus perhibuerunt teſtimonium, non omnes fuiſſe Minoritas, uti non fuerunt Joannes de Ceperano, Lucas Tudenſis, Jacobus de Voragine, Matthæus Pariſius, Cardinales plurimi, Alexander IV. & alii permulti, quos alibi audiemus. Inter teſtes oculatos Stigmatum S.Franciſci viventis & ipſe Gregorius IX. adnumerandus eſt, qui nondum Pontifex Viro Seraphico intimus, & familiaris, illa in ejus manibus, & pedibus vidit; ſed cum ad Petri ſolium aſſumptus de ipſo ageret inter Sanctos adſcribendo, ac de ſola laterali plaga, quam non viderat, dubitaret, certificatus fuit cæleſti viſione, quam Waddingus ad ann. 1228. num. 111. ſic narrat: „ Nocte quadam, ut „ ipſe pius Antiſtes, Bonaventura teſte cap. „ 15. referebat cum lacrymis, apparuit ei

„ in

„ in ſomnis indignato, commotoque vultu
„ Vir Sanctus, & hæſitationem cordis ipſius
„ redarguens, elevavit brachium dextrum,
„ detexit vulnus, phialamque popoſcit ab
„ ipſo, ut ſcaturientem reciperet ſanguinem,
„ qui ex latere defluebat. Obtulit in viſione
„ Summus Pontifex phialam poſtulatam, quæ
„ uſque ad ſummum ſanguine profluente de
„ latere videbatur impleri. Ex tunc ad illud
„ ſacrum miraculum tanta cæpit devotione
„ affici, & æmulatione fervere, ut nullo mo-
„ do pati poſſet, quod aliquis præfulgentia
„ illa ſacra ſigna, ſuperba præſumeret im-
„ pugnatione fuſcare, quin eum ſevera in-
„ crepatione feriret. „ Hæc ex Divo Bona-
ventura Annaliſta; ſed hanc ipſam viſionem
referunt etiam alii non pauci, & ex his Au-
guſtinus Oldoni in additione ad Ciaconium in
Vita Gregorii IX.

CAPUT IV.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci comprobatur teſtibus, qui ea pariter & viderunt, & palparunt in ejus morte.

QUoniam nonnulli ex allatis vitæ S. Franciſci ſcriptoribus, Stigmata ipſius viventis teſtes oculatos proferentibus, iidem illi ſunt, qui in funere S. Viri vel ipſimet viderunt, & palpaverunt pignora illa pretioſa, vel qui in confirmationem aſſerti proprii plures etiam nominatim exprimunt perſonas viventes, omnis gradus, conditionis, ac ætatis, ut ex hactenus dictis apparet, quas in tali circumſtantia ea pariter & palpaſſe, & conſpexiſſe dicunt, quin iſtæ ore aut ſcripto falſitatem detexerint; idcirco eædem, ac in ſuperiori capite, in præſenti etiam militant de teſtibus oculatis regulæ Criticorum. Citra dubium eſt, cunctis id fatentibus, qui de S. Franciſci obitu ſcripſere, Patri Seraphico infirmo, ac ſubinde mortuo apud S. Mariam de Portiuncula, ubi „ ſuper nudam humum, „ ut ſcribit S. Bonaventura in Legend. Min. *de tran-*

tranſitu mortis Lect. 3.„ ſe totum nudatum de„ poſuit „ ſocios, & diſcipulos, præſertim intimiores, ac magis eidem familiares adſtitiſſe, ac propterea Stigmata in ejus impreſſa corpore commode tunc, & clare videre potuiſſe. Ex intimioribus hiſce diſcipulis adſtantibus fuerunt profecto fratres Leo, Angelus, Ruffinus, ac Thomas de Celano, omnes, ut perſpeximus, Vitæ S. Franciſci ſcriptores, qui proinde uti teſtes oculati ea chartæ mandarunt, quæ in morte, & funere ejuſdem propriis oculis viderunt. Celanus itaque in Legenda antiqua, quæ & Gregorii IX. dicitur, lib. 2. cap. 4. ſcribit: „ Catervatim to„ ta Civitas Aſſiſii ruit, & omnis accelerat „ regio videre magnalia Dei, quæ in ſervo „ ſancto ſuo glorioſo oſtenderat Dominus ma„ jeſtatis .... Revera reſultabat in eo forma „ crucis, & paſſionis Agni immaculati, qui „ lavit crimina mundi, dum quaſi recenter „ ex cruce depoſitus videbatur, manus & „ pedes clavis confixos habens, & dextrum „ latus quaſi lancea perforatum. Intueban„ tur carnem illius, quæ nigra erat prius, „ candore nimio renitentem .... Non ſunt „ contracti nervi ejus, ut mortuorum ſolent, „ non

„ non indurata cutis, non rigida effecta ſunt
„ membra, ſed huc atque illuc vertentia ſe,
„ veluti ponebantur. Cumque tam mira pul-
„ chritudine cunctis cernentibus reſplende-
„ ret, & caro ejus nive candidior eſſet effe-
„ cta, cernere mirabile erat in medio ma-
„ nuum & pedum ipſius, non clavorum qui-
„ dem puncturas, ſed ipſos clavos in eis im-
„ poſitos ex ferri recenti nigredine, ac dex-
„ trum latus ſanguine rubricatum. Accur-
„ rebant fratres & filii, collacrymantes deo-
„ ſculabantur manus & pedes pii Patris, eos
„ derelinquentis, necnon & dextrum latus,
„ in cujus plaga illius memoria celebris age-
„ batur, qui ex eo loco ſanguinem & aquam
„ pariter effundens, mundum reconciliavit
„ Patri. Maximum ſibi donum exhiberi cre-
„ debat quivis de populo, ſi admittebatur,
„ non ſolum ad oſculandum, ſed & ad viden-
„ dum ſacra Stigmata Jeſu Chriſti, quæ S.
„ Franciſcus portabat in corpore ſuo. „ Ha-
ctenus Celanus, teſtis, ut diximus, ocula-
tus.

Ex his jam ſatis intelligimus, vulnera S. Franciſci defuncti omnibus fuiſſe patentia, ac fratres extinctum ejus corpus e populorum ocu-

oculis nequaquam ſubtraxiſſe, illud furtim abſcondendo, ne quod de ipſo vivente fuerat evulgatum, falſum eotunc coram omnibus detegeretur; amat enim tenebras mendacium, lucem amica veritas. Viderunt illud, ac in eo deoſculati ſunt Crucifixi plagas viri ſæculares permulti, & fratres plurimi, e quorum numero fuerunt quoque ejus vitæ ſcriptores, & frater Elias, qui, ut vidimus capite primo, clariſſimum & ipſe in ſua Epiſtola veritati perhibuit teſtimonium, ſicuti etiam tres prælaudati Socii, qui cap. 5. referunt, quod licet Pater Seraphicus „ pro poſſe abſconde- „ rit uſque ad mortem ſuſcepta vulnera; poſt „ feliciſſimum tamen ejus tranſitum omnes „ fratres, qui aderant, & ſæculares quam- „ plurimi manifeſtiſſime ea viderunt. „ Hæc omnia ferme ad litteram repetit Dominus Joannes de Ceperano, ſecundus, ut innuimus, vitæ S. Franciſci ſcriptor, cujus, aliorumque narrationem confirmat, & mirifice illuſtrat S. Bonaventura in utraque Legenda, & in Lectionibus *de Canonizatione, & de Translatione S. Franciſci*. Etenim Lect. 2. ſcribit: „ Cernebantur quidem in membris illis feli- „ cibus clavi ex ejus carne virtute divina mi- „ ri-

„ rifice fabrefacti ; ſicque carni eidem inna-
„ ti, quod dum a parte qualibet premerentur,
„ protinus quaſi nervi continui, & duri ad
„ partem oppoſitam reſultabant . Inventa
„ quoque fuit patentius in ipſius corpore ,
„ non inflicta humanitus, neque facta , pla-
„ ga vulneris lateralis, inſtar vulnerati late-
„ ris Salvatoris , quod redemptionis , & re-
„ generationis humanæ in Redemptore noſtro
„ protulit ſacramentum . Erat autem ſimili-
„ tudo clavorum nigra quaſi ferrum , vulnus
„ autem lateris rubeum , & ad orbicularita-
„ tem quamdam carnis contractione reda-
„ ctum, roſa pulcherrima videbatur . „ Hæc tam ſubtilis , & accurata Stigmatum deſcriptio , a cunctis Vitæ S. Franciſci ſcriptoribus fideliter repetita , fieri haud quaquam poterat, niſi attente ac diligenter ea inſpecta , & contrectata fuiſſent, idque maxime dicendum venit de laterali plaga, quæ cum a Seraphico Doctore inventa dicatur, conquiſita profecto fuit, quoniam verbum *invenio* in hoc a *reperio* differt, quod ſecundum , grammatice, & proprie adhibeatur ad rem exprimendam caſu, & fortuito repertam , illud vero ad rem indicandam perquirendo inventam . Optime

id

id notat ipſemet S. Doctor, qui exponens cap. 1. Joannis, ſuper hæc verba, *& invenit Philippum*, inquit: „ Non caſualiter, „ ſed ex propoſito invenitur, quod perdi- „ tum; „ unde & de muliere Evangelica drachmam perditam perquirente, Lucæ 15. dicitur: „ Quærit diligenter, donec inve- „ niat.„

Lectione 3. proſequitur S. Bonaventura, dicens: „ Cum igitur in candidiſſima carne „ clavi nigreſcerent, plaga vero lateris ut „ vernans roſeus flos ruberet, mirandum non „ eſt, ſi tam formoſa, & miraculoſa varie- „ tas jucunditatem, & admirationem con- „ tuentibus ingerebat. Lacrymabantur filii „ pro ſubtractione tam amabilis Patris, ſed „ & non modica perfundebantur lætitia, dum „ deoſculabantur in eo ſignacula ſummi Re- „ gis. Miraculi novitas planctum vertebat „ in jubilum, & intellectus rapiebat indagi- „ nem in ſtuporem. „ Lect. vero 4. ſcribit: „ Erat quippe tam inſolitum, tamque inſigne „ ſpectaculum contuentibus omnibus, & „ firmamentum fidei, & incitamentum amo- „ ris, audientibus vero admirationis mate- „ ria, & excitatio deſiderii ad videndum. „

E Fra-

Fratres igitur, & diſcipuli S. Viri, ut dicebam, non artificioſe, ac ſubdole in morte ejus egerunt, tranſitum celando, & corpus ab hominum aſpectu ſubtrahendo, uti revera egiſſent, ſi falſa, & ficta fuiſſent vulnera in eodem impreſſa, atque ut vera, ipſo vivente, promulgata; ſed potius e contra & mortem, & miraculi novitatem ſimpliciter, & confidenter protinus evulgarunt, quemlibet ad extincti corporis, & prodigii intuitum admiſerunt, ut ab unoquoque veritas dignoſci poſſet, quam ipſi fratres, & alii prædicaverant.

„ Audito ſiquidem „ ſequitur ibid. S. Bonaventura „ Patris beati tranſitu, & fama „ diffuſa miraculi, accelerans populus con- „ fluebat ad locum, ut id cerneret oculis „ carneis, quod a ratione dubium omne re- „ pelleret, & affectioni gaudium cumularet. „ Admiſſi ſunt itaque Aſſiſiates cives quam- „ plurimi ad Stigmata illa ſacra contemplan- „ da oculis, & labiis oſculanda. „ Neque id momento temporis, & furtive actum eſt, neque ita, ut ſenſus decipi, aut de veritate prodigii ſanum, certumque judicium efformare nequiverint, eum per totam noctem & fratri-

tribus, & ſæcularibus perſonis plagas illas liberrime intueri, palpare, & oſculari libuerit. „ Fratres autem, & filii, qui vocati fue-
„ rant ad tranſitum Patris, cum omni multi-
„ tudine populorum, noctem illam, in qua
„ almus Chriſti Confeſſor deceſſit, ſic divi-
„ nis laudibus dedicarunt, ut non defuncto-
„ rum exequiæ, ſed Angelorum excubiæ vi-
„ derentur. Unus autem ex eis miles quidam
„ litteratus, & prudens, Hieronymus nomi-
„ ne, vir utique famoſus & celeber, cum
„ de hujuſmodi ſacris ſignis dubitaſſet, eſ-
„ ſetque incredulus, quaſi Thomas, auda-
„ cius, & ferventius coram fratribus, & aliis
„ civibus movebat clavos, Sanctique manus,
„ pedes, & latus manibus propriis contre-
„ ctabat, ut dum vulnerum Chriſti veracia
„ illa ſigna palpando contingeret, de ſui, &
„ omnium cordibus omne dubietatis vulnus
„ amputaret. „ Hæc Seraphicus Doctor, qui de eodem milite Lect. 5. ita concludit: „ Pro-
„ pter quod & ipſe inter alios hujus veritatis
„ tam certitudinaliter agnitæ teſtis conſtans
„ poſtmodum effectus eſt, & tactis ſacroſan-
„ ctis juramento firmavit, „ quando ſcilicet in cauſa Canonizationis Seraphici Parentis

una cum aliis plurimis oculatis teſtibus examinatus fuit. De hoc eodem milite loqui videtur etiam S. Antoninus Hiſt. tit. 24. §. 3. ac ipſo etiam S. Bonaventura prius Tres Socii in Legenda cap. 5. ubi ſcribunt: Multorum „ corda, qui de Viro Dei non recte ſenſerant, & de ejus Stigmatibus dubitaverant, „ ad tantam fidei magnitudinem ſunt mutata, quod qui prius detractores ejus fuerant, „ bonitate Dei operante, & ipſa veritate cogente, ipſius laudatores, & prædicatores „ fideliſſimi extiterunt.„

Non ſolum autem nocte illa, qua S. Franciſci corpus jacuit extinctum in Conventu Portiunculæ, ubi anima illius in ſero diei Sabbati ad Cælum evolaverat, illud univerſis patuit confluentibus populis, qui ſacra illa vulnera & videre, & contemplari potuerunt, ſed etiam die Dominico ſequenti, cum ad Eccleſiam S. Georgii deferretur tumulandum, Sancta Clara Virgo cum ſuis Sororibus, & alii plurimi ſigna illa mirifica in eodem corpore & conſpexerunt, & oſculati ſunt.„ Ma„ ne vero facto „ ſcribit adhuc idem Seraphicus Doctor „ turbæ, quæ convenerant, „ acceptis arborum ramis, & cereorum mul-

„ ti-

„ tiplicatis luminibus, cum hymnis, & can-
„ ticis ſacrum corpus ad civitatem Aſſiſii de-
„ tulerunt. Tranſeuntes autem Eccleſiam S.
„ Damiani, in qua illa Virgo nobilis Clara,
„ nunc glorioſa in Cælis, tunc incluſa cum
„ virginibus morabatur, ibique aliquantu-
„ lum ſubſiſtentes, ſacrum corpus, marga-
„ ritis cæleſtibus inſignitum, videndum, &
„ oſculandum illis ſacris virginibus obtule-
„ runt.„ Hæc eadem ipſe habet etiam in
Legend. Maj cap. 13. ubi ait: „ Viderunt in
„ morte pluſquam quinquaginta fratres, Vir-
„ goque Deo devotiſſima Clara cum ceteris
„ ſororibus ſuis, & ſæculares innumeri, ex
„ quibus quamplurimi & oſculati ſunt ex
„ devotionis affectu, & contrectaverunt ma-
„ nibus ad teſtimonii firmitatem. „ Idipſum
ſcripſerunt antea quotquot S. Franciſci Vitam
adornarunt, ac de Stigmatibus ejus loquuti
ſunt, quorum, ne tædio lectores afficiamus,
unum hic exſcribemus Thomam de Celano,
lib. 2. cap. 4. Vitæ prioris, de translatione cor-
poris beatiſſimi Patris ab Eccleſia Portiuncu-
læ ad illam S. Georgii ita referentem: „ De-
„ ponentibus eum in Eccleſia S. Damiani,
„ in qua decem filiæ ſuæ, quas Domino ac-

„ quiſiverat, morabantur, aperta eſt feneſtra parvula, per quam ancillæ Chriſti conſtituto tempore communicare ſolent Dominici Corporis Sacramento; aperta eſt arca, in qua portabatur a paucis, qui multos portare ſolebat, & ecce Domina Clara, quæ erat aliarum mater, & prima plantula hujus ſancti Ordinis fuit, venit cum reliquis filiabus ad videndum Patrem... Sicque inter lætitiam poſitæ, & mærorem, deoſculabantur ſplendidiſſimas manus ejus, ornatas pretioſiſſimis gemmis, & coruſcantibus margaritis. „ Eadem ſubinde ſcripſerunt etiam auctores omnes, qui de eodem argumento Stigmatum poſt S. Bonaventuram egerunt, ac horum aliqui addunt, S. Claram vim eotunc feciſſe, ut clavum unum e S. Viri manibus abſtraheret.

Cum auctore libri, *Speculum Vitæ B. Franciſci, & Sociorum ejus*, addere placet, etiam Dominam Jacobam de Septemſoliis, Romanas inter matronas nobiliſſimam, ac S. Franciſci viventis diſcipulam, eique ſumme devotam, ejus vulnera in morte & vidiſſe, & oſculatam eſſe. Cum namque de S. Patris imminenti obitu cælitus admonita Roma Aſ-

ſiſium

ſiſium ſe contuliſſet, cuncta ſecum detulit, quæ pro funere, & ſepultura ejus neceſſaria erant, & ingreſſa locum, ubi Magiſtri extinctum corpus jacebat „ procidens ad illos pe„ des, divinis characteribus inſignitos, tan„ tam ibi accepit conſolationem, & gratiam, „ & copiam lachrymarum, quod ſicut Mag„ dalena, oſcula circumquaque, quaſi alte„ rius Chriſti pedibus, fidelia labia impri„ mebant; ita quod fratres pedibus Sancti „ non poterant illam avellere. „ Cum auctore vero antiqui Dialogi Sacri Montis Alvernæ, apud auctorem Novi lib. 1. cap. 8. concludimus „ vidiſſe, palpaſſe, & oſcula„ tos eſſe vulnera S. Franciſci defuncti om„ nes fratres, qui eidem morienti adſtite„ runt, cum ſe nudum ſuper terram depo„ ſuit, numeroſam populi multitudinem, „ Dominam Jacobam de Septemſoliis, S. „ Claram cum ſuis Sororibus, & alios „ ac horum plures poſt paucos menſes juridice examinatos, omnia, quæ recenſiti ſcriptores de ipſis referunt eotunc viventibus, juramento firmaſſe, uti clarius, & fuſius in ſequenti capite dicetur. Interim advertere juvat, etiam Lucam Tudenſem, & Jacobum

 de

de Voragine, capite ſecundo relatos, aſſerere, Stigmatum S. Franciſci defuncti a plurimis inſpecta fuiſſe; quemadmodum fatentur etiam Summi Pontifices Gregorius IX. & Alexander IV. quorum verba hic pro coronide audire non pigeat. Primus in litteris, *Uſque ad terminos*, in quibus increpat audaciam Friderici Epiſcopi Olomucenſis in Moravia, veritatem Stigmatum eorumdem negantis, inquit: „ Firmiter crediturus, quod idem
„ Sanctus, cum adhuc noſtræ mortalitatis
„ habitum bajularet, prædictis Stigmatibus
„ extitit inſignitus; & licet illa viſa pluri-
„ bus, ipſe tamquam contemnens laudes ho-
„ minum, vacanſque contemplandæ dulce-
„ dini cæleſtium organorum, celare ſemper
„ ſtuduerit, ea tamen migrans ad Paradiſi
„ patriam concurrentium obtuitu publica-
„ vit. „ Alexander vero IV. in Conſtitutione, alibi etiam citata, *Benigna operatio*, quam confirmavit Nicolaus IV. per ſuum diploma, *Quaſdam litteras*, univerſos ita alloquitur Eccleſiarum Prælatos: „ Signanter
„ vobis ante oculos proponere volumus reco-
„ lenda frequentius, & vehementius admi-
„ randa illa ſaltem jucunda Dominicæ paſ-

„ ſio-

„ ſionis inſignia, quæ in ejuſdem Sancti
„ (Franciſci) corpore manus cæleſtis ope-
„ rationis impreſſit. Viderunt namque ocu-
„ li fideliter intuentes, & certiſſimi palpan-
„ tium digiti palpaverunt, quod in manibus
„ ejus, & pedibus expreſſa undique ſimilitu-
„ do clavorum de ſubjecto proprio carnis ex-
„ crevit, vel de materia novæ creationis ac-
„ crevit, quæ equidem idem Sanctus ſtudio-
„ ſe ab oculis hominum, quorum refugiebat
„ gloriam, dum viveret, abſcondebat. In-
„ venta eſt patentius in ipſius defuncti cor-
„ pore, non inflicta humanitus, nec facta,
„ plaga vulneris lateralis, quaſi aliquid in-
„ ſtar lateris Salvatoris &c. „

Sed cur adhuc in hiſce detinemur, cum & ipſi Centuriatores Magdeburgenſes fateantur, S. Franciſci Stigmata in ejus defuncto corpore, & a fratribus, & a confluentibus populis inſpecta fuiſſe? Centuria ſiquidem 13. cap. 10. non ut veritatem doceant, & amplectantur, ſed ut hanc irrideant pro more, de funere Seraphici Viri ita ſcribunt: „ Mona-
„ chi, & Aſſiſinates cives conveniunt, tum
„ ut illa Stigmata intuerentur, & oſcularen-
„ tur, tum etiam ut corpus exanime terræ
„ man-

„ mandarent. Deferunt igitur, geſtantes ra„ mos arborum, & cereos, primum ad Da„ miani templum, in quo Clara degebat, „ ut illa cum Sororibus ipſum deoſcularetur.„

CAPUT V.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci ex iis, quæ in ejus Canonizatione acta fuerunt, invictiſſime probatur.

PAucis a morte Seraphici Patris elapſis diebus, fama miraculorum, Stigmatum præſertim, quod inauditum prodigium innumeri oculati teſtes pleno ore celebrabant, permotus Summus Pontifex Gregorius IX., qui in Cardinalatus honore conſtitutus S. Viri familiaritate uſus fuerat, & eximias virtutes admiratus „ cuique Vir Sanctus prophetando „ prædixerat, quod ad dignitatem foret Apo„ ſtolicam ſublimandus „ de ipſo inter Cælites adſcribendo cogitare cæpit. Ut rite, & canonice in re tam gravi procederet; totius Umbriæ Epiſcopis inquiſitionem, & examen juridicum demandavit omnium miraculorum

lorum, quæ per eorum civitates, diæceſes, ac ditiones evulgabantur ab illis, qui palam fatebantur beneficia per eum accepta. Anno a tranſitu Viri Sanctiſſimi expleto, iidem Epiſcopi confectos proceſſus ad eumdem tranſmiſere Pontificem, qui exactiori diſcuſſione examinandos Cardinalium cætui eos conſignavit. Ex his cum obſtarent nonnulli tanti negotii accelerationi, faverent alii, qui viventem Dei Servum agnoverant, ſanctitatem ejus probaverant, ac etiam vulnera intuiti, & contemplati fuerant, Gregorius IX. in hac opinionum varietate horum primis idem examen commiſit, quemadmodum *de Canoniz. & de Translat. S. Franciſci* Lect. 6. & 7. ſcribit S. Bonaventura, & ait: „ Cumque in diverſis orbis partibus glorioſa ejus miracula, largaque per ipſum impetrata beneficia plurimos ad Chriſti devotionem accenderent, & ad ipſius Sancti reverentiam incitarent, acclamantibus tam linguis ſermonum, quam operum, ad aures Summi Pontificis Domini Gregorii Noni, quæ per ſervum ſuum Franciſcum Deus operabatur, magnalia pervenerunt. Sane cum idem Paſtor Eccleſiæ non ſolum & miraculis

„ culis auditis poſt mortem, verum etiam
„ experimentis in vita, oculis viſis, & mani-
„ bus contrectatis ſanctitatem ejus mirabilem
„ plena fide certificatus agnoſceret, ac per
„ hoc in cælis glorificatum a Domino nulla-
„ tenus dubitaret, ut Chriſto, cujus erat
„ Vicarius, concorditer ageret, hunc in ter-
„ ris reddere celebrem, tamquam omni ve-
„ neratione digniſſimum, pia conſideratione
„ diſpoſuit. Ad omnem quoque certitudinem
„ faciendam orbi terrarum de glorificatione
„ Viri Sanctiſſimi, inventa miracula, & con-
„ ſcripta, & teſtibus idoneis approbata, exa-
„ minari fecit per illos, qui minus inter Car-
„ dinales favorabiles negotio videbantur.
„ Quibus diligenter diſcuſſis, & ab omnibus
„ opprobatis, de Fratrum ſuorum, & om-
„ nium Prælatorum, qui tunc erant in Cu-
„ ria, concordi conſilio, & aſſenſu canoni-
„ zandum decrevit, venienſque perſonaliter
„ ad civitatem Aſſiſii anno Domini milleſimo
„ ducenteſimo vigeſimo octavo, decimoſe-
„ ptimo Kalendas Auguſti die Dominico cum
„ maximis, quæ longum foret enumerare,
„ ſolemniis, beatum Patrem catalogo San-
„ ctorum adſcripſit.„

Ce-

Celanus quoque poſt enarratum miraculorum examen, Peruſii a Cardinalibus factum. lib. 2. cap. 1. Legendæ antiquæ concludit „ Concordant, & dicunt id ipſum omnes „ miracula legunt, & plurimum venerantur „ ſummiſque præconiis vitam beati Patris „ & converſationem extollunt. Ideoque non „ indiget, inquiunt, miraculorum atteſtatione Sanctiſſimi vita ſanctiſſima, quam „ oculis noſtris vidimus, contrectavimus manibus, magiſtra veritate probavimus.„ Ex hiſce apparet, quam exacte, quam diligenter, ac rigide conquiſita, & expenſa fuerint S. Franciſci miracula, illud præſertim ſacrorum Stigmatum, quod a teſtibus oculatis quamplurimis aſſertum, & juridice medio juramento firmatum, in cauſa fuit præcipua, cur Pater Seraphicus inter Sanctos adſcriberetur. Siquidem Gregorius IX. in litteris, *Uſque ad terminos*, prius datis Epiſcopo Olomucenſi, ut in præcedenti capite dictum eſt, moxque directis *ad Univerſos per Teutoniam conſtitutos*, ut ex Vaticano Codice apud Raynaldum, & ex Waddingo advertit Sbaralea in Bullario Franciſcano Nota (d) ſic aperte ſe exprimit: „ De Stigmatibus vero plures fide

„ di-

„ digniſſimi, quos miraculi tanti conſcios di-
„ vinæ placuit reddere poteſtati, (pietati)
„ teſtimonium veritati perhibeant, & ad ip-
„ ſum hoc fidelis Mater Eccleſia ſuffragetur,
„ quæ ex hujuſmodi miraculo, cum multis
„ aliis habita ſolemnitate probato, cauſam
„ ſpecialem habuit, quod eumdem Sanctum
„ Beatorum catalogo reverenter adſcripſit. „
Eadem habet idem Pontifex etiam in aliis duabus litteris, *Non minus dolentes*, &, *Confeſſor Domini glorioſus*. In primis namque editis contra Moravum quemdam Fratrem, qui S. Franciſci Stigmata negabat palam & publice in concionibus, alloquens Gregorius Superiores iſtius, ita poſtmodum ejuſdem refert, ac damnat audaciam dicens: „ De prædicante tranſiens in blaſphemum, in com-
„ muni dicere non expavit, quod in laudem
„ Beati Franciſci per quoſdam ex diſcipulis
„ ſuis pie propoſita deberent haberi pro re-
„ probis, quod in ejus corpore Stigmata non
„ fuiſſent. Quid ultra? nec Chriſto, qui
„ Sanctum eumdem manibus, pedibus, ac
„ latere hujuſmodi Stigmatum privilegio de-
„ coravit, nec Nobis, qui ex tanto miracu-
„ lo, cum ceteris ſolemniter probato, cau-
„ ſam

„ ſam ſpecialem habuimus, quod ipſum ad-
„ ſcripſimus catalogo Sanctorum,, deferen-
„ do.„ In ſecundis vero, ſcriptis *Univerſis Chriſtifidelibus*, quas deinde confirmarunt Nicolaus III. *Litteras felicis*, & Nicolaus IV. *Tenorem quarumdam*, ita loquitur;
„ Grande, ac ſingulare miraculum, quo ip-
„ ſum (beatum Franciſcum) Sanctorum
„ ſplendor, & gloria Dominus Jeſus Chri-
„ ſtus mirabiliter decoravit, univerſitati ve-
„ ſtræ tenore præſentium non indigne duxi-
„ mus exprimendum; videlicet, quod idem
„ Sanctus, cum adhuc ſpatium præſentis vi-
„ tæ percurreret, & poſtquam illud feliciter
„ conſummavit, manibus, latere, ac pedi-
„ bus ſpecie Stigmatum extitit inſignitus.
„ Quo ad noſtram, & Fratrum noſtrorum de-
„ ducto notitiam, & cum ceteris ejus mira-
„ culis per teſtes fide digniſſimos probato,
„ ſolemniter, & ex ipſo ſpecialem cauſam
„ habuimus, quod Confeſſorem eumdem de
„ dictorum Fratrum, & omnium Prælato-
„ rum conſilio, qui tunc apud Sedem Apo-
„ ſtolicam exiſtebant, Sanctorum catalogo
„ duximus adſcribendum.

Confirmat hæc omnia Alexander IV. in ſuis

ſuis litteris alibi citatis, *Benigna operatio*, ſcribens „ Pontificem laudatum ſolertiſſimis „ inquiſitionibus indagaſſe miracula S. Fran- „ ciſci, & comperta fideliſſimis documentis, „ feciſſe ad laudem Dei, & augmentum fi- „ dei, & inſtructionem ſalubrem tam præ- „ ſentium, quam etiam futurorum monu- „ mentis perpetuis commendari, eumdem „ Confeſſorem Sanctorum catalogo adſcri- „ bendo. „ Harum tum Gregorii IX. cum Alexandri IV. Epiſtolarum mentionem faciunt etiam Baronius in notis ad Martyrol. Roman. die 17. Septembris,& Raynaldus ad ann. 1237. num. LX. Patentibus autem Waddingo ad ann. 1237. num. IV., Sbaralea in Bullario Franciſcano Nota (d) ad præcitatum diploma Gregorii IX. *Confeſſor Domini*, & auctore Dialogi Sacri Montis Alvernæ lib. 2. cap. 7. Marcus Triviſanus Venetus in ſuo opere MS. *de Indultis Sedis Apoſtolicæ Ordini Fratrum Minorum*, Aſſiſii in Sacrario Eccleſiæ S. Franciſci ſe vidiſſe ſcribit aliud Gregorii IX. diploma, incipiens, *Seraphim volabant*, in quo Pontifex mandat ſub anathematis pæna, ut nemo S. Franciſci Stigmatibus detrahat, hortaturque omnes, ut eorumdem veritati firmiſ-

ſime

ſime comprobatæ præbeat aſſenſum. Et ſane, teſtes de veritate Stigmatum Seraphici Patris in judicium eotunc advocati, ac juridice diligenterque examinati, illi ipſi fuerunt, qui in eodem Viro Seraphico vivo, vel mortuo illa, ut ajebam & viderant, & contrectaverant, cives nempe Aſſiſienſes, & „ fratres „ plurimi, qui licet eſſent propter ſanctitatem præcipuam „ ut de eis teſtatur in Legend. Maj. S. Bonaventura cap. 13. „ viri per „ omnia fide digni, tamen ad omne dubium „ amovendum, ſic eſſe, ac ſe vidiſſe, tactis „ ſacroſanctis, juramento firmarunt.„ Hiſce diligenter peractis, Gregorius IX. cum tota Romana Curia, ut audivimus, Peruſio Aſſiſium perſonaliter ſe contulit, ut ibi, præſente cadavere S. Franciſci, ſolemnia canonizationis ejus in Eccleſia S. Georgii, nunc S. Claræ, celebraret. Initium his datur a concione, quam de laudibus Seraphici Viri habuit ſupremus Paſtor, pontificalibus indutus veſtibus, coram infinita propemodum populi multitudine, aſſumpto themate ex Eccleſiaſtici cap. 50. „ Quaſi ſtella matutina in „ medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet. Et quaſi ſol refulgens, ſic

 „ ille

„ ille effulſit in templo Dei.„

„ Prædicat primitus populo univerſo „ proſequitur Celanus loco citato „ Gregorius „ IX. . . . Completur ſermo fidelis, & omni „ acceptione dignus. Et unus ex Subdiaco- „ nibus Domini Papæ, nomine Octavianus, „ miracula Sancti coram omnibus voce altiſ- „ ſima legit. Dominus Ramarius (Raynerius „ Capoccius Viterbienſis) Diaconus Cardi- „ nalis, perſpicaci pollens ingenio, pieta- „ te ac moribus clarus, ea ſacris loquelis, „ lacrymis profuſus ediſſerit.„ Auctor quoque Vitæ Gregorii IX. apud Raynaldum ad ann. 1228. num. XXXII. agens de S. Franciſci Canonizatione, ab hoc Pontifice peracta, ſcribit;„ Poſt miracula recitata, & diligen- „ ter expoſita, beatiſſimus Præſul profuſis „ lacrymis B. Franciſcum, Crucifixi mini- „ ſtrum, cujus corde, & corpore Stigmata „ portabat, decrevit in catalogo Sanctorum „ annotandum.„ Aderant his omnibus, ac inter S. Viri miracula, altiſſima voce recitata, illud inauditum a ſæculo ſacrorum Stigmatum, audiebant Epiſcopus, Clerus, nobiliores cives Aſſiſienſes cum aliis ejuſdem Urbis, aliarumque finitimarum omnis ætatis,

tis, & conditionis perſonis, quarum perplures S. Franciſci corpus in ejus morte & viderant, & contrectaverant, atque ut oculati teſtes in judicium vocatæ fuerant, cum de ipſius miraculis proceſſus efformarentur. Quis igitur in animum ſibi inducat, Pontificem, & Cardinales enunciare voluiſſe miracula, ac præſertim S. Viri Stigmata celebrare coram illis, qui ſtatim in ipſa Eccleſia inſurgere poterant, & falſa hæc, atque conficta conclamare? Quis credat id fieri potuiſſe coram fratribus, ejuſdem Sancti diſcipulis, & ſociis, qui omnes, ut vidimus, ejus corpus exanime conſpexerant, & palpaverant, horum vero nonnulli hoc etiam vivens, & mortale quotidie præ oculis habuerant, & in infirmitate curaverant? Nemo ſane, niſi fungum pro cerebro habeat, in Pontifice, & in Cardinalibus, tantam impudentiam, in adſtantibus vero, & audientibus univerſis tantam ſtupiditatem, & hebetudinem affirmabit, ut illi S. Franciſci Stigmata altiſſima voce prædicare voluerint, horumque teſtes oculatos proferre ex auditoribus quamplurimos, ac iſtorum nullum contra clamaſſe, & impoſturam detexiſſe. Ad rem proinde noſtram optime

hic uſurpari poſſunt, quæ Muratorius de Ingen. Moderat. lib. 3. cap. 11. ſcribit contra Phereponum, ſive Joannem Clericum, Sanctos Eccleſiæ Doctores Ambroſium, & Auguſtinum ut falſorum miraculorum venditores accuſantem, quæ de hiſce a Muratorio dicuntur, de Gregorio IX., & Cardinalibus prædictis intelligendo.

„ Si velimus tantos viros miracula con-
„ finxiſſe, & quidem in lucrum ac utilitatem
„ propriam, quo nil turpius excogitari po-
„ teſt, neceſſe eſt, ipſos mortalium, & chri-
„ ſtianorum perditiſſimos, & hypocritas, &
„ religionis in ſpeciem tantummodo cultores
„ prius credere .... Miracula a Gregorio IX.
„ & Cardinalibus memorata nullas impoſturæ
„ notas ſecum adferunt, immo tot habent
„ veritatis indicia, ut quando ea falſi poſtu-
„ lare, aut ſuſpicari liceat, nihil certi jam
„ ſuperſit in humana divinaque hiſtoria, ni-
„ hil quod fraudem, & mendacium redolere
„ non poſſit. „ Ut vero adhuc verba depromamus ex eodem oppugnante ipſum Clericum, falſa & ficta eſſe ſcribentem prodigia a Deo patrata in inventione Sanctorum Martyrum Gervaſii & Protaſii, & inter hæc cæci

cu-

cujuſdam illuminationem, univerſis Mediolanenſibus notiſſimi, relatam a Paulino teſte oculato, & Vitæ S. Ambroſii ſcriptore, paucis, ut ſupra, immutatis verbis, proſequimur, Pontifici nempe, & populo Aſſiſienſi applicando, quæ Muratorius de S. Ambroſio, & civibus Mediolanenſibus ait: „ Clero, ac
„ populo ſpectante peracta ſunt omnia . . . .
„ Oculis ſuis Aſſiſienſis populus viderat S.
„ Franciſci Stigmata in ejus corpore impreſ-
„ ſa. Fidentiſſime id palam per Cardinales
„ Gregorius repetit. Quis credat hæc omnia
„ commenta, fraudes, ac illuſiones fuiſſe?
„ Num adeo ſtupidi, ac bardi tum fuere po-
„ puli, ut ſibi hæc obtrudi paterent, &
„ ſuoſmet oculos miraculorum teſtes appella-
„ ri audirent, quæ tamen ipſi nequaquam
„ aſpexiſſent? Num imprudens adeo Ponti-
„ fex, ut tanta ſecuritate coram tot teſtibus
„ appellatis rem inviſam viſam pronuntiaret?
„ Immenſo populo teſte,„ inquit de cæco illuminato S. Auguſtinus, tunc Mediolani degens, lib. 9. Confeſs. cap. 7. „ res geſta eſt,„ quod & nos dicemus de S. Franciſci Stigmatibus, in ejus extinto corpore apparentibus.
„ Si locum fraus habuit „ proſequitur S. Do-

ctor de prædictorum Martyrum prodigiis, & nos cum eodem de Stigmatibus prædictis p ro ſequimur „ quei tam felix fraus eſſe potuit, „ ut detegi unquam potuerit ? Sicuti, ut Muratorius concludit „ ſine populi conſpira- „ tione cæcus ſimulari non poterat ſubita „ oculorum luce donatus „ ita, & nos concludimus, abſque conſpiratione conſimili S. Franciſci Stigmata confingi, & publicari nequibant.

Accedit, quod ipſemet Gregorius IX. & ex Cardinalibus adſtantibus quatuor, alibi jam nominati, & inferius iterum nominandi, Stigmata ipſa in corpore S. Franciſci mortalis & viderant, & palpaverant, ut ipſimet fatentur apud Celanum jam allatum, dicentes: „ Non indiget miraculorum atteſtatione San- „ ctiſſimi vita ſanctiſſima, quam oculis no- „ ſtris vidimus, contrectavimus manibus, „ magiſtra veritate probavimus „ quod etiam de viſione, & contrectatione ſacrorum Stigmatum eos dixiſſe putamus ex teſtimonio Seraphici Doct. in Leg. Maj. c. 13. dicentis: „ Vide- „ runt, dum viveret, ex familiaritate, quam „ cum Viro Sancto habebant, aliqui Cardina- „ les „ atque ii ſane fuerunt, qui, referente S. Bo-

na-

naventura „ laudes ſacrorum Stigmatum pro-
„ ſis, & hymnis, & antiphonis, quas ad
„ ipſius ediderunt honorem, veraciter inſe-
„ rentes, tam verbo, quam ſcripto perhibue-
„ runt teſtimonium veritati.„ In ipſa nam-
que S. Franciſci canonizatione cecinerunt
Pontifex, & laudati Cardinales, hymnos, &
rithmos fere omnes, ex quibus poſtea, juſſu
S. Bonaventuræ Generalis Miniſtri, & ex aliis
additis a Fratre Juliano, uti dicemus, com-
pactum fuit Eccleſiaſticum officium, quod
in ſolemnitatibus Seraphici Patris adhuc re-
citatur ab univerſis Minoritis, Conventuali-
bus exceptis. „ Nonnulla „ inquit Andreas
Victorelli in additionibus ad Ciaconium ad
ann. 1228. „ quæ Minores in S. Franciſci ce-
„ lebritate recitant, is (Gregorius IX.) con-
„ fecit, quem imitati ſunt Cardinales Otho
„ Candidus, Thomas Capuanus, Raynerius
„ Capoccius, qui, dum Vir Sanctus inter
„ Cælites referretur, de illius laudibus, &
„ miris operibus luculentam orationem ha-
„ buit, Stephanus Caſanova, ſive Foſſano-
„ va. „ Idem aſſerit etiam Bernardus a Beſ-
ſa, jam, ut alibi etiam diximus, S. Bonaven-
turæ Secretarius, in lib. *de Laudibus* S. Fran-

ciſci fol. 95. col. 1. ubi referens auctores, qui Vitam Seraphici Patris concinnarunt, inquit: „ In francia vero ſcripſit frater Julianus, „ ſcientia, & ſanctitate conſpicuus, qui „ etiam nocturnale Sancti officium in litera, „ & cantu compoſuit, preter ymnos, & ali- „ quantas antiphonas, ac reſponſoria, que „ ſummus pontifex, & aliqui de cardinali- „ bus in ſancti preconium ediderunt. „ Partes igitur officii S. Franciſci, non S. Bonaventura, ut cum Octaviano Sinveſſano in orat. de laudibus Seraphici Doctoris volunt nonnulli, ſed laudatus frater Julianus Teutonicus compoſuit.

Rem totam declarat, & in luce ponit Waddingus ad ann. 1228. num. LXXVIII., ubi poſt allatam Bullam canonizationis Seraphici Patris, ita ſcribit: „ Non ſolum ſacris „ his ritibus Pontifex Sancti Viri nomen ex- „ tulit, verum & compoſitis a ſe hymnis, „ & rhythmis eccleſiaſticis condecoravit. Il- „ lius opus ſunt hymnus, *Proles de cælo pro-* „ *diit*, qui canitur in primis Veſperis diei „ feſti, & proſa illa, olim ſolemnis, *Caput* „ *draconis*, necnon antiphonæ, *Sancte Fran-* „ *ciſce propera*, & quæ recitatur defuncto

„ Ge-

„ Generali Miniſtro, *Plange turba pauper-*
„ *cula*. Pontificis pietatem imitati ſunt plu-
„ rimi ex Cardinalibus, aliiſque Prælatis.
„ Reſponſorium illud octavum officii, *De*
„ *paupertatis horreo*, fecit Otho Candidus,
„ ſeu Blancus de Alerano ex Marchionibus
„ Montisferrati, Diaconus Cardinalis S. Ni-
„ colai in Carcere Tulliano, a Gregorio IX.
„ creatus. Hymnum nocturni, *In cæleſti*
„ *collegio*, atque alium in ſecundis Veſperis,
„ *Decus morum*, *Dux Minorum*, antiquam
„ proſam, quæ incipit, *Lætabundus*, Re-
„ ſponſorium ſeptimum, *Carnis ſpicam*, &
„ antiphonam, *Salve Sancte Pater*, *Patriæ*
„ *lux*, edidit Thomas Capuanus, Cardina-
„ lis Presbyter S. Sabinæ, ab Innocentio III.
„ creatus, quem maxime in ſcribendo car-
„ mine, & proſa oratione valuiſſe, atque
„ aliquas antiphonas eccleſiaſticas compo-
„ ſuiſſe, commemorat Ciaconius. Raynerius
„ Capoccius Viterbienſis, Cardinalis S. Ma-
„ riæ in Coſmedin, quem ſupra diximus, in
„ S. Viri canonizatione orationem habuiſſe
„ de gloria miraculorum, cecinit hymnum,
„ *Plaude turba paupercula*, qui cantatur in
„ Laudibus. Stephanus de Caſanova, qui-
„ buſ-

„ buſdam de Foſſanova, Romanus, Diaco-
„ nus Cardinalis S. Angeli ab Innocentio III.
„ creatus, poſtea Eccleſiæ Camerarius, cu-
„ jus nepotem equo lapſum, & mortuum,
„ coram eo, & aliis Cardinalibus S. Domini-
„ cus ad vitam revocavit, auctor eſt illius an-
„ tiphonæ, quæ quotidie canitur, *Cælorum*
„ *candor ſplenduit*; itaut plurima pars offi-
„ cii, quod Minoritæ in feſto ſui Inſtituto-
„ ris recitant, opus ſit hujus Pontificis, &
„ prænominatorum Cardinalium. „ Cum
autem ad ann. 1224. num. XVIII. dixiſſet Annaliſta, S. Bonaventuram compoſuiſſe reliquas partes prædicti officii, id immediate ibidem retractans, ait: „ Licet Marianus, &
„ Annales Saxonici Manuſcripti aſſerant,
„ totum officium, præter hiſtoriam, & pro-
„ ſas recenſitas, tam in littera, quam in
„ cantu ordinaſſe ſub ejuſdem Bonaventuræ
„ Generalatu, ejuſque aſſenſu, fratrem Ju-
„ lianum Teutonicum, virum in Ordine eru-
„ ditum, & ante ingreſſum in eumdem pri-
„ mum præcentorem in aula Regis Gallo-
„ rum. „

Gregorium IX. & Cardinales prædictos vulnera S. Franciſci viventis conſpexiſſe, &

pal-

palpaſſe, jam indicavimus, numquam vero ea negaſſe, aut falſa dixiſſe, ſatis ſuperque conſtat ex eo, quod hæc eorum retractatio nullibi adinveniatur. Imo cum in actis canonizationis prædictæ juridice, prævioque diligenti examine ea probaverint, moxque in canticis adnotatis palam, & ſolemniter eadem confirmaverint, de Stigmatum eorumdem veritate dubitari non poteſt; „ ex his enim „ patet „ ut cum S. Bernardino Senenſi loquamur, *de Stigmatibus Beati Franciſci*, Serm. 3. art. 2. cap. 9. „ quod ſolemnis, & „ authentica ſit canonizatio glorioſi Franci- „ ſci, & Stigmatum ejus. „ Etenim Gregorius IX. in citata proſa, *Caput draconis*, iiſdem recurrentibus canonizationis ſolemniis, de Stigmatibus ipſis ita cecinit:

Verum de Chriſti latere
Novus legatus mittitur,
In cujus ſacro corpore
Vexillum Crucis cernitur;
Franciſcus princeps inclytus
Signum regale bajulat.

Tho-

Thomas Capuanus in hymno, *Decus morum, Dux Minorum*, ad rem hæc habet:

Regis ſignum Ducem dignum
Inſignit manu, latere.

Raynerius Capoccius in illo, *Plaude turba paupercula*, inquit:

Vili contectus tegmine;
Sancto caleſcens flamine,
Vicit algorem caumata
Chriſti dum geſtat Stigmata.

Nunc juxta correctionem novi Breviarii a me factam legitur:

Inter cæli chariſmata
Chriſti recepit Stigmata.

Stephanus a Caſanova in antiphona præcitata ſic ſe exprimit:

Cælorum candor ſplenduit,
Novum ſidus emicuit,
Sacer Franſciſcus claruit,
Cui Seraph apparuit,
Signans eum charactere,

Nunc

Nunc in eadem correctione dicitur: *Obſignans eum vulnere.*

In volis, plantis, latere,
Dum formam Crucis gerere
Vult corde, ore, opere.

His omnibus addendum eſt, quod refert Albertus Stadenſis, auctor & ipſe coævus, vel quaſi coævus, utpote qui ſuum Chronicon exornaverit ab initio mundi uſque ad annum Chriſti 1241., quo ipſe vivebat. Hic namque in eodem Chronico narrat, & ex eo ſcribit Waddingus cum aliis ad ann. 1228. num. IV. Gregorium IX. in canonizatione S. Franciſci cum Cardinalibus „ iſtius corpus ex ipſa tumba „ levaſſe, ea etiam de cauſa, ut Cardina„ lium, & virorum Principum votis ſatisfa„ ceret, ac inſpicerent in integro corpore „ pulchra illa Jeſu Chriſti veſtigia. „ Quæ cum ita ſint, recte clariſſimus Manſi in Notis ad Raynaldum Nota (L) ad ann. 1223. poſt deſcripta cum Doctore Seraphico S. Franciſci Stigmata concludit: „ Viſa ſunt a pluribus „ hæc ſacra Stigmata; quorum fides nemini „ ſuſpecta eſſe poſſit. „

Et re quidem vera, ſi innumeras recipimus nar-

narrationes hiſtoricas, unius, vel alterius oculati, aut ſynchroni teſtis aſſertione, vel auctoritate firmatas, cur Stigmatum S. Franciſci veritatem, tot tantiſque teſtibus oculatis, & contemporaneis, etiam juramento proprium aſſertum confirmantibus, roboratam, negabimus? „ Illud factum „ ſcribit Honoratus a S. Maria tom. 1. part. 2. diſſert. 2. art. 6. „ omnes veritatis notas habet, quod „ memorant tamquam certum plures ejuſ- „ dem ætatis ſcriptores. „ De impreſſione Stigmatum in corpore S. Franciſci id verificari, ex hactenus dictis ita liquet, ut celeberrimum hoc factum ex illis habendum ſit, de quibus Muratorius loco deſuper laudato lib. 1. cap. 18. ſcribit: „ Sunt facta, quæ in Ec- „ cleſia Dei conſtituta fuere tamquam cer- „ ta, quibus etſi adjungendus non eſt ſupra- „ naturalis fidei aſſenſus, non enim illa re- „ ferre inter dogmata licet, nefas tamen „ ſit non amplecti, & non credere vera, „ & qui credere, ſive amplecti recuſat, „ hæretici cordis ſuſpicionem non levem „ contra ſe excitabit, aut ſaltem ſeverita- „ te legum ad meliorem ſententiam per- „ trahendus erit. „ Spiritum ſane veritatis

ini-

inimicum, atque ad hanc, utcumque lucidam, denegendam paratum habeat neceſſe eſt, qui factum hiſtoricum ut verum agnoſcere, ac fateri detrectat, quod jam compertum, & ſenſibus patens, teſtes quamplurimi vel coævi, vel quaſi coævi, probi, fidenter & uniformiter narrant, horumque nonnulli illud vel ab iis, qui viderunt, ſe audiviſſe ſcribunt, vel ipſoſmet propriis oculis conſpexiſſe, & manibus contrectaſſe affirmant, ac ſolemni etiam juramento teſtati ſunt, quin vel ipſorum unus unquam ſe retractaverit, vel alter ejuſdem ætatis auctor contradixerit. Quid, ut ajebam, vel cui credendum erit, ſi factum adeo ſuffultum denegetur, & fides non habeatur hiſtoricis, ipſum tam exacte, concorditer, & præciſe referentibus, tamque ſolemniter teſtantibus? Quænam veritas in humana hiſtoria admittenda eſt, & ad quid Critici præſcribunt regulas, quibus innixi de facto aliquo judicare, ac tuto de ejus veritate pronunciare poſſimus, quoties auctores, ac teſtes plurimi ſynchroni, & etiam jurati, omnis conditionis, & gradus non ſufficiunt, eiſque minime adhærendum eſt? Cum igitur impreſſio ſacrorum Stigmatum in corpore S. Franciſci Seraphi-

phici his omnibus, ut patet, rationibus, & argumentis Criticorum judicio firmiſſimis innitatur, juxta eorumdem regulas inconcuſſa, & humanitus certiſſima eſſe debet, nec ab alio, quam a manifeſtæ veritatis hoſte negari poteſt. Ut enim, quod laudatus P. Honoratus tom. 1. diſſert. 3. art. 1. ad rem ſuam habet, nos ad noſtram uſurpemus, concludimus „ Factum hoc indubitatum eſſe, quia „ ſenſibus obvium, & exploratum fuit, au„ ribus oculiſque percipi poterat; viſum „ enim eſt unicuique. Portentum hoc nocte, „ aut clam non accidit.„

CAPUT VI.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci auctoribus confirmatur, ſcientia, & pietate conſpicuis, qui de iiſdem Stigmatibus ſucceſſive ſcripſerunt.

ETſi, quæ hactenus dicta ſunt, ex ipſo Criticorum præſcripto ſatis ſuperque ſufficiant, ut Stigmatum impreſſionem in corpore S. Franciſci Seraphici veram, & realem fuiſſe credamus, libet nihilominus variis adhuc

adhuc auctorum teſtimoniis, qui poſt recenſitos in præcedentibus capitibus idem argumentum vel attigerunt, vel illuſtrarunt, eamdem veritatem confirmare. Nec obeſt, quod eorum aliqui poſt ducentos etiam annos a morte S. Franciſci floruerint, quia Criticorum nonnulli, ut in fine ſecundi capitis pariter advertimus, hunc quoque annorum circulum evolutum a facto uſque ad auctorem, qui ipſum narrat, ſufficere docent, ut in verbo auctoris hujus idem factum admittamus. Imo ſi, ut advertit centies laudatus P. Honoratus tom. 2. lib. 1. diſſert. 2. art. 2. §. 3. „ Launo-
„ jus, Tillemontius, Bailletus, Thierius,
„ Patres Thomaſſinus, Mabillonius, Ale-
„ xander, aliique in Hiſtoria Eccleſiaſtica
„ elucubranda, antiquorum Martyrum Actis,
„ & geſtis Sanctorum illuſtrandis, maximum
„ ſtatuere factorum hiſtoricorum numerum
„ fide ſcriptorum, qui ducentis, trecentis,
„ quadringentis, quingentis, & ſexcentis
„ annis diſtant ab illis rebus „ cur nos Stigmatum S. Franciſci hiſtoriam, & narrationem non admittemus, factam ab auctoribus, ducentis, minuſque annis ab horum impreſſione diſtantibus, veterum plurimorum teſtimonio

ſuffultam? Si licuit illis, & nobis licebit ad majorem facti celeberrimi confirmationem, illorum auctoritatem proferre, qui ab eodem quamvis ætate diſtantes, pietatis tamen, & ſcientiæ laude commendantur, & rem narrant jam ante ipſos a plurimis coævis, vel quaſi coævis, ac etiam oculatis teſtibus relatam, & deſcriptam.

Vetuſtus igitur auctor libri, *Speculum Vitæ B. Franciſci, & Sociorum ejus*, alibi etiam citati, ſub titulo, *Modus Stigmatizationis S. Franciſci*, poſt relatam Seraphim apparitionem cum Celano, S. Bonaventura, & aliis, modum ipſum ſic deſcribit: „ Appropinquante illo, vidit inter alas Jeſum „ Chriſtum crucifixum, & vehementer obſtupuit, mæroremque compaſſionis ſuper „ Chriſto paſſo, & gaudium ſuper ejus gratioſo aſpectu mens ejus incurrit, ut dicitur „ in Legenda, & cum archana verba ſibi „ revelaſſet, tandem dixit: para te, Franciſce, faciam in te mirabilia. Et ille: tu „ ſcis, Domine, quia paratus ſum ad omnia „ tua mandata. Tunc extendit manum ſuam „ dexteram ſuper beati Franciſci manum dexteram ponendo, ad cujus contactum Fran-

„ ci-

„ ciſcus vulneratus fuit in manu &c. „ Sancia, Jeruſalem, & Siciliæ Regina, in epiſtola ſcripta fratribus Minoribus, Perpiniani in Capitulo Generali anno 1331. congregatis, in qua eiſdem commendat exactam propriæ Regulæ obſervantiam, de Stigmatibus Seraphici Patris confidenter ſic loquitur: „ Non
„ dubitetis, quod talis Regula fundata ſuper
„ tali fundamento, ſcilicet Evangelio ſancto,
„ & ſignata talibus ſigillis, ſcilicet plagis Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti, impreſſis in per-
„ ſona dicti Patris communis, nullus potuit,
„ nec poterit frangere. „ S. Vincentius Ferrerius Serm. *In Feſto S. Franciſci*, ſcribit:
„ Et quia erat ita ardens in caritate, apparuit
„ ſibi (ei) Seraphim. Et ſubito, ac ſi cum
„ baliſta emitteretur clavus quidam de nervo,
„ percuſſit manum dexteram, deinde ſini-
„ ſtram, & in pedibus habuit plagas in tan-
„ tum, quod poterat dicere illud ad Galatas
„ ultimo: „ *Ego enim Stigmata Domini Je-*
„ *ſu in corpore meo porto*. Dicatur quod ex
„ humilitate abſcondebat plagas, ut vitaret
„ vanamgloriam. Dicatur de vulnere late-
„ ris, quod a Socio ſuo fuit inventum. „

S. Bernardinus Senenſis in ſuis operibus

edit. Venet. 1745. paſſim de S. Franciſci Stigmatibus mentionem facit, hiſque teſtimonium perhibet evidentiſſimum. Ut ſit finis in eis afferendis, quæ de hoc argumento habet tum in Dialogo *inter Religionem, & Mundum*, qui legitur tom. 3., tum in Sermonibus diverſis, pauca exſcribemus ex tom. 4. Serm. 3. *de Stigmatibus beati Franciſci*, in quo totus eſt, ut hæc ipſa deſcribat, & laudibus extollat. Siquidem art. 2. cap. 4. agens *de apparitione Seraphica*, fere ad litteram repetit, quæ S. Bonaventura narrat in Legenda, atque hinc cap. 6. addit: „ Unde jam cum Apoſtolo ad „ Galat. 2. dicere poteſt: „ *Vivo autem ego,* „ *jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*; „ & illud ad Galat. ultimo: *De cetero nemo* „ *mihi moleſtus ſit; ego enim Stigmata Domini* „ *Jeſu in corpore meo porto; gratia Domini no-* „ *ſtri Jeſu Chriſti*; quod quidem verbum Pa- „ pa Nicolaus III. in declaratione Regulæ „ noſtræ, ut habetur extr. de Verb. ſignific. „ cap. *Exiit qui ſeminat*, lib. 6. de S. Fran- „ ciſco intelligit eſſe dictum, cum nec Pau- „ lus, nec alius Sanctus auctoritate Eccleſiæ „ legatur in corpore ſuo portaſſe Stigmata „ hæc ſacra. „ Capite vero 7. art. citato ejuſdem

dem Sermonis cum eodem Seraphico Doctore Stigmatum naturam deſcribit; capite 8. duodecim in eis adnotat miracula; & capite 9. inquit: „ Hæc ſacra Stigmatizatio beati Fran-„ ciſci ſanctitatis ejus approbatio, & authen-„ ticatio fuit per Bullam crucifixi Dei viven-„ tis. „ S. Antoninus Hiſt. part. 3. tit 24. fuſe & ipſe de S. Franciſci Stigmatibus verba facit, nam cap. 1. §. 3 ſic eorum ab initio integram ponit hiſtoriam : „ Quiddam ſingu-„ lare conceſſum fuit beato Franciſco, quod „ nulli inter natos mulierum legitur fuiſſe do-„ natum, & hoc eſt impreſſio Stigmatum ſa-„ crorum, ... Quia enim extincta videbatur „ memoria paſſionis Chriſti in mentibus homi-„ num præ tepiditate eorum, voluit Domi-„ nus excitare, & incaleſcere hanc recorda-„ tionem per impreſſionem manifeſtam cica-„ tricum in corpore beati Franciſci. „ Hujus mox hiſtoriam proſequens tum ibidem, tum cap. 2. §. 8. & 9., ubi pertractat de morte S. Franciſci, eadem habet, quæ ſcribunt S. Bonaventura, & alii in ſuperioribus capitibus laudati. Dionyſius Carthuſianus, qui obiit ann. 1471. ætatis ſuæ 69. Serm. *de S. Franciſco*, illud Apoſtoli ad Galatas

ultimo, *Ego Stigmata Domini Jeſu in corpore meo porto*, de Seraphico Patre ſic exponit: „ Hæc verba S. Paulus in propria dixit perſona ad litteram, quæ excellentiſſimo Confeſſori beatiſſimo Patri Franciſco valde ſublimiter competunt, quoniam quinque vulnerum Chriſti impreſſuras, ſeu Stigmata, quæ erant realiter vera vulnera, in ſuo corpore accepit, ac tulit. „ Petrus de Natalibus in Catal. Vit. Ss. lib. 9. cap. 18. de *S. Franciſco Confeſſore*, ad rem hæc habet: „ In viſione Dei beatus Franciſcus ſupra ſe crucifixum Seraphim aſpexit, qui crucifixionis ſuæ ſigna ſic ei evidenter impreſſit, ut crucifixus videretur & ipſe. Conſignanturque manus, pedes, & latus crucis charactere, ſed diligenti ſtudio ab omnium oculis Stigmata abſcondebat; quidam tamen hæc in vita viderunt, ſed in morte plurimi conſpexerunt. „ Quoniam vero Joannes Baptiſta Thiers in ſua diſſertatione contra Patrem le Franc, in præfatione indicata, iſtius verbis, & Jacobi de Voragine abutitur, ut alibi quoque innuimus, idcirco an recte Criticus iſte intelligat, capite ultimo hujus operis examinabimus.

Ac-

Accedat nunc ultimo Joannes Baptiſta Mantuanus Carmelita, celebris Poeta, qui lib. 10. Faſtorum, de S. Franciſco hæc edidit carmina:

.... Chriſti ante oculos patientis imago
Semper erat, plagas, & verbera mente ferebat;
Et quas mente tulit, Deus apparere figuras
Illius in membris voluit;nam vulnere pectus,
Vulnere ſignavit palmas,& vulnere plantas;
Sicut ab Aſſyria veniens regione futurum
Angelus admonuit Laterani in limine templi.

De S. Angelo Martyre, item Carmelita, intelligit hic Mantuanus, ac Bzovius quoque ad ann. 1220. num. XVI. refert, ipſum S. Angelum Divo Franciſco Stigmata prædixiſſe, hunc vero eidem Angelo martyrium, & has prædictiones idem Poeta ſic expreſſit:

Ad tua Franciſcus ſeſe veſtigia flexis
Proſtravit genibus, ſacris dedit oſcula plantis.

Inſuper adjecit : Salve , Pater Angele , montis
Incola Carmeli , te mors manet inclyta , Chriſti
Teſtis eris , tibi Rex divum decus annuet iſtud .
Te quoque Franciſco memorant reſponſa dediſſe
Talia : Solvendæ tanto pro munere grates ,
O Franciſce , Deo , ſed erit tua gloria nuſquam
Inferior : tibi Chriſtus enim ſua vulnera quinque
Imprimet , & fies Chriſti patientis Imago .

Alii plures hic omittuntur omnis ætatis , & conditionis auctores , qui legi poſſunt & apud Henricum Sedulium , ſub initio Hiſtoriæ Seraphicæ elogia in S. Patrem Franciſcum recenſentem , & apud Antonium Daza in peculiari de argumento Stigmatum libello . Si igitur firmiſſime tenendum eſt factum , ut monet Launojus in diſſert. de Sulp. Sev. §. 16. „ ſi de „ eo diverſis & temporibus , & locis ſcriptum „ ſit a pluribus exploratæ fidei viris , qui pro-
„ du-

„ ducantur in teſtes „ citra dubium admittenda eſt Stigmatum S. Franciſci impreſſio, a plurimis diverſorum temporum, & locorum teſtibus, ut apparet, aſſerta, & quidem exploratæ fidei, & integritatis viris. Horum autem auctoritas plurimi facienda eſt ex eo præcipue, quod ſi juxta Dupinum, & Fleurium „ nauci habendum eſt quiquid novitius „ auctor enunciat haud innixum teſtimonio „ veteris alicujus ſcriptoris, qui rei geſtæ æ- „ tate, vel certe propiori vixerit „ maximi exiſtimandum erit, quod multi referunt, auctoritate fulti plurium veterum ſcriptorum, qui facti cujuſdam tempore, vel paucis ab eodem evolutis annis, vixerunt, ut in re, de qua agimus. Etenim ut, præter auctores quaſi coævos capite ſecundo allatos, adhuc alios ad majorem firmitatem hic addamus, hi erunt tres, Fr. Salimbene, Benedictus XI. & beatus Joannes Firmanus.

Primus, qui cum S. Franciſci diſcipulis familiaritatem habuit, ac B. Joannis Parmenſis, S. Bonaventuræ in miniſterio Generalatus anteceſſoris immediati, ſocius, & amicus fuit, in ſuo Chronico ſcribit: „ Anno Domini 1226. „ quarto nonas Octobris tranſiit beatus Fran-

„ ci-

„ ciſcus Ordinis fratrum Minorum Inſtitutor,
„ & Dux ex hujus mundi naufragio ad cæleſtia regna, die ſabbati ſero, & ſepultus eſt
„ die Dominico in civitate Aſſiſii, ornatus
„ Stigmatibus Jeſu Criſti. „ Benedictus XI. poſt annos tantummodo ſeptuaginta ſex a morte S. Franciſci, Stigmatum feſtum in univerſa Eccleſia inſtituit, quod nobis pro veritate Stigmatum eorumdem argumentum eſt inviɗiſſimum, cum Romani Pontifices nonniſi de re ſolemniter diſcuſſa, atque probata feſtum inſtituere ſoleant. Beatus Joannes Firmanus, ab Alverna dictus ob diuturnum triginta annorum in eo monte incolatum, Præfationem compoſuit, *Qui venerandum Confeſſorem*, quæ in Miſſis de S. Franciſco legitur a Minoritis, & in qua Stigmatum impreſſio clariſſime exprimitur. Hic namque vir ſanctitate conſpicuus, Ordinem ingreſſus anno 1272. miſſus deinde ad Alvernæ montem anno 1292. a Miniſtro Generali Fr. Raymundo Gaufridi, ibi vitam duxit ad annum uſque 1322., & die 9. Auguſti pie ſancteque deceſſit, ejuſque Reliquiæ in Sacrario ejuſdem montis religioſe aſſervantur. Locum hic haberet quoque auctor officii ſacrorum Stigmatum, quod paulo poſt

poſt iſtitutionem feſti compactum, etiam nunc a Franciſcanis, demptis Conventualibus, recitatur, ſed alibi de ipſo mentio facienda erit, ubi ſcilicet de eodem feſto, quod noſtri ſæculi ſapientes reprobare audent, ſpecialiter agemus. Ex tot interim tantiſque auctorum dictis, ad ſatietatem uſque hactenus relatis, concludimus, Stigmatum impreſſionem in corpore S. Franciſci Seraphici adeo veram eſſe, & certam, ut vix in hiſtoria Eccleſiaſtica factum inveniri poſſit, quod juxta criticen validioribus firmetur argumentis, & majori gaudeat certitudine, & evidentia.

CAPUT VII.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci monumentis evincitur antiquiſſimis, ex iis præſertim, quæ adhuc in monte Alverna exiſtunt, & conſpiciuntur.

Factum quodcumque hiſtoricum pro vero & indubitato habendum eſſe docent Critici cum Carolo Leshio, apud P. Honoratum tom. 1. diſſert. 3. art. 1., „ ſi factum ipſum „ ut etiam cap. 1. adnotatum fuit,„ publicum ſit,

„ &

„ & in Orbis totius conſpectum venerit ; ac „ ejus extent monumenta publica , & cære„ moniæ, quæ tum inde , cum res accidit , „ exordium duxerint . „ Stigmatum impreſſionem in corpore S. Franciſci Seraphici, factum fuiſſe publicum , & in conſpectum totius Orbis deveniſſe , ulteriori non indiget probatione, cum ſuperius demonſtratum ſit ad abundantiam, omniumque populorum vox, & imagines ejuſdem Sancti ubique terrarum exiſtentes , quæ ipſum paſſionis Chriſti ſignaculis ornatum exprimunt, ſatis deprædicent, & confirment . Vix enim ex hujuſmodi imaginibus invenietur una , quæ S. Franciſcum ſine Stigmatibus exhibeat , ne vetuſtiſſimis quidem exceptis, quia tum inde cum res accidit , ſtatim cum hiſce notis imagines ejus , ſive pictæ , ſive ſculptæ exprimi cæperunt . Capite primo audivimus Alexandrum IV. in ſuis litteris, *Quia longum eſſet* , redarguentem Clericos *de Caſtellæ , & Legionis Regnis* , ſigna hæc vel a S. Viri imaginibus abradentes , vel in eiſdem fieri vetantes,id quod eumdem Pontificem egiſſe etiam in aliis litteris , datis Epiſcopo Januenſi , intelligimus a S. Antonino Hiſt. part. 3. tit. 24. §. 10. & ab aliis . Gregorius

rius IX. ſimiliter in ſuo diplomate, *Uſque ad terminos*, alibi citato, reprehenderat prius Epiſcopum Olomucenſem contendentem, „ quod cum ſolus Patris æterni Filius fuerit „ pro humana ſalute crucifixus, & ipſius dum- „ taxat vulnera devotione ſupplici adorare „ debeat religio Chriſtiana, nec beatus Fran- „ ciſcus, nec Sanctorum aliquis cum Stigmati- „ bus ſit in Eccleſia Dei depingendus.„ Ex his pro inde habemus, S. Franciſci imagines, quarum aliquæ quibuſdam in locis adhuc exiſtunt, ſtatim ab ejus morte, vel ſaltem ab ipſius canonizatione, cum Stigmatibus pingi conſueviſſe, & publice exhiberi, & quidem de licentia ſedis Apoſtolicæ, quoniam, ut ait Sixtus IV. in Bulla, *Licet dum militans*, etſi „ S. Fran- „ ciſcus Ordinis Minorum fundator per bien- „ nium antequam diem vitæ hujus clauderet „ extremum, ſacra Stigmata Chriſti ejus copori „ adeo impreſſa portaſſet, illaque, durante „ dicto biennio, a multis viſa & palpata fuiſ- „ ſent, tamen non licuerat dicti Ordinis pro- „ feſſoribus, ipſum glorioſum Sanctum cum „ hujuſmodi Stigmatibus, quibus a Domino „ noſtro Jeſu Chriſto corpus ejus decoratum „ fuerat, pingi facere abſque Sedis Apoſtoli- „ cæ

„ cæ conceſſione, & licentia ſpeciali. „

Extant igitur, ut Critici volunt, Stigmatum S. Franciſci monumenta publica, picturæ nempe ipſum cum hiſce repræſentantes, quæ ex tempore, quo res accidit, exordium duxerunt, nec deſiderantur cæremoniæ ab eadem origine repetendæ, quarum aliquas in præſenti, nonnullas in ſequenti capite attingemus. Et ad præſens quod attinet, in primis ex quo Alvernæ mons in Etruria anno 1213. S. Franciſco dono datus fuit a Comite Orlando, ſive Rolando, Cataneo, Vallis Caſentinæ, adjacentis regionis, & Cluſii novi Domino, in maximo ſemper honore habitus eſt a fidelibus, præcipue vero poſt impreſſionem ſacrorum Stigmatum in eo factam anno 1224. circa feſtum Exaltationis S. Crucis, ſive, ut placet multis, ipſo Exaltationis die. Ipſemet enim Comes primam ibi S. Franciſci hortatu, ac juxta formam ab eodem Seraphico Viro præſcriptam, ædificare fecit Eccleſiam S. Mariæ de Angelis ſacram, quæ adhuc exiſtit, diciturque Eccleſia antiquior, licet deinceps aliquantulum aucta, & ornata, ut referunt Auctor antiqui Dialogi, & ſcriptor novi, Waddingus, & alii. „ Cum enim „ inquit An-

Annaliſta ad ann. 12 3. num. XXXI. „ fratrum „ habitatio, creſcente populi ad hunc locum „ devotione, adventantes fideles capere mi„ nime poſſet, poſt viginti ſex a morte Sera„ phici Patris annos, prout ex Apoſtolico „ quodam Innocentii IV. diplomate, dato Lug„ duni XVII. menſis novembris anno Domini „ 1252. ſatis conſtat, ex diverſis eleemoſinis „ extendi, ampliarique cæpit. „ Exemplar harum litterarum incipientium, *Quoniam ut ait Apoſtolus*, in quibus Pontifex concedit Indulgentiam porrigentibus manus adjutrices pro conſtructione, ſive reſtauratione, & ampliatione hujus Eccleſiæ, aſſervari in eodem ſacro monte affirmat auctor prædicti Dialogi lib. 1. c. 1. teſtis oculatus. Hanc eamdem Eccleſiam ornavit poſtmodum ex ligno Dominicus Bartoli Civis Florentinus anno 1486., hac lege tamen id permittentes fratres, ut ſcribunt ambo nunc laudati auctores, ne quid ejus formæ immutaretur, neve quid accrementi acciperet, quod & in cauſa extitit, ut ſemper in eodem ſtatu permanſerit, atque in ſumma ab omnibus veneratione habeatur. Hanc quoque ſacram ædem, addunt recenſiti Scriptores, ſibi in ſepulturam elegit præfatus Co-

Comes Orlandus, ejus fundator, ad quem plures alii Heroes, ſanctique fratres appoſiti ſunt, & ex utraque januæ parte ejus inſignia adhuc inſpiciuntur, crucem deſuper, ac tria lilia inferius habentia.

Alexander IV. ſumma in S. Franciſcum devotione affectus, Eccleſiam ipſam a ſeptem Epiſcopis, Aretino ſcilicet, Urbinate, Florentino, Aſſiſinate, Peruſino, Tifernate, atque Feſulano, quibus adfuit S. Bonaventura tunc Generalis Miniſter, de Chriſtiano more benedici, & conſecrari voluit, qui, iiſdem auctoribus referentibus, maxima tum nobilium, tum quoque populorum multitudine ſtipati, vigeſimo menſis auguſti, ſummo ſtudio, ſummaque diligentia Pontificis voluntati fecere ſatis, & poſt conſecratam Eccleſiam, univerſum in gyro montem equitando benedixerunt, in cujus rei memoriam anniverſaria quotannis ejuſdem conſecrationis dies circumvicinis populis ſolemniſſima eſt. At cur hæc tanta in Alvernæ montem fidelium devotio? Non ob ſolum profecto S. Franciſci in eo incolatum, quia alia quamplurima fuere loca, ab ipſo pariter inhabitata, quæ nihilominus vix a populis reſpectivæ regionis hac

de

de cauſa & viſitantur, & coluntur. Aliunde igitur univerſalis hæc, & ſingularis prorſus in Alvernæ montem devota affectio repetenda eſt, ac utique a perſuaſione firmiſſima, qua ſemper, ex quo res ibidem accidit, credidere fideles S. Franciſcum Seraphicum Chriſti vulneribus illic inſignitum fuiſſe, quod oſtendunt, & confirmant, ut promiſimus, etiam monumenta eodem tempore ibi erecta, & in præſens quoque exiſtentia, & viſibilia. Et reapſe extat eo in monte, & conſpicitur ſacellum, Cardinalis dictum a cineribus Domini Galeotti de Ubertinis Aretini, Petræ malæ Comitis, S. R. E. Cardinalis, in eo conditis, quodque prima fuit beati Franciſci cellula, a prælaudato Comite Orlando Cataneo ſub maxima quadam fago ædificata, moxque expenſis Catharinæ uxoris Comitis Roberti de Petra mala reſtaurata, in cujus fornice hæc legitur inſcriptio, hujusce reſtaurationis tempore illic appoſita.,, Anno Domini MCCXXIV.
,, Beatus Franciſcus ſub hac arbore ſæpe cum
,, gratiarum actione, & lætitia ſpiritus come-
,, dit. Et circa feſtum Exaltationis ſanctæ
,, Crucis Seraph ei in hujus montis latere,
,, ubi nunc eſt cella Crucifixi, apparuit. Et

„ ex tunc corpori ejus Stigmata Domini Jeſu „ Chriſti mirabiliter impreſſa fuerunt. „

Aliud in eodem monte cernitur antiquiſſimum Oratorium in duas Cappellas diſtinctum, quarum una, quæ jam fuit ſecunda cella S. Franciſci, Cappella Crucis, uti ſcribunt prælaudati auctores, in qua Seraphicus Pater jejunavit quadraginta diebus in honorem Angelorum, altera ſacrorum Stigmatum appellatur. Primam ex terra olim, & lignis compactam a ſociis ejuſdem S. Viri, Leone, Angelo, & Maſſæo, ſuis deinde ſumptibus anno 1264. in juſtum ſacellum transferendum curavit Symon Guidonis filius, Comes Caſtri Battifollis, nunc deſtructi, & aliorum oppidorum in Caſentino, qui eodem anno etiam aliam ſacrorum Stigmatum a fundamentis erexit, ut gentilitia ejus inſignia, leonem habentia linea rubra diviſum, plurimis in ejuſdem Cappellæ locis affixa, evidenter oſtendunt. Hic Symon, inquit auctor Dialogi lib. 1. cap. 7. S. Patri Franciſco fuit contemporaneus, & ideo de myſterio Stigmatum optime inſtructus, ac exhortationibus quoque prædictorum ſociorum Oratorium præfatum ædificare fecit in loco, ubi eorumdem præciſe contigerat impreſ-

preſſio. In Cappella Crucis hæc marmori inſculpta leguntur verba, tum ab auctore mox laudato, cum a Waddingo ad ann. 1213. num. XXXVII. exſcripta: „ Anno Domini MCCLXIV.
„ feria quinta poſt feſtum Aſſumptionis glo-
„ rioſæ Virginis Mariæ, Comes Symon, fi-
„ lius illuſtris viri Guidonis, Dei gratia in
„ Tuſcia Palatinus, fecit fundari iſtud Ora-
„ torium ad honorem beati Franciſci, ut ipſe
„ (cui in loco iſto Seraph apparuit ſub anno
„ Domini MCCXXIV. infra octavas Nativitatis
„ ejuſdem Virginis, & corpori ejus impreſſit
„ Stigmata Jeſu Chriſti) conſignet eum gra-
„ tia Spiritus Sancti. „ In fornice vero ejuſdem Sacelli, eodem ibidem referente Annaliſta cum aliis, hæc pariter, antiquiſſimis expreſſa characteribus, leguntur carmina:

His quondam Divi Franciſci hæc cella ſecunda
Extitit in ſcopulis, nunc vero dicta Ducis:
Hic quater arcta decem ille dies jejunia ſolvit,
Ordinis Angelici ductus honore ſacri.

Inſuper in medio Cappellæ ſacrorum Stigmatum crates ænea cernitur, quæ, alia ferrea antiquiſſima & ſimplici ſublata, a Domina Iſabella, filia Antonii Franciſci Scali, & Angeli Bardi uxore, anno 1529. poſita fuit, & locum indicat præciſum, ut innuunt ſcriptores tum antiqui, cum novi Dialogi ſacri montis Alvernæ lib. 1. c. 8. in quo S. Franciſcus vulnera Chriſti recepit. Ad latus hujuſce cratis videtur lapis marmoreus, in quo inciſa exhibetur antiphona, *Cælorum candor ſplenduit*, jam ſupra capite quinto exarata, quæ canitur quotidie a fratribus in proceſſione illuc adventantibus, cum additione particulæ *Hic*, unde ajunt: *Cui Seraph hic apparuit*, quam particulam addunt etiam in verſiculo, quem immediate recitant, dicentes: *Signaſti Domine hic ſervum tuum Franciſcum, Signis Redemptionis noſtræ*. In tabulis denique ſupra chorum locatis hæc alia cernitur antiphona, quæ a cunctis Minoritis, demptis Conventualibus, canitur *ad Magnificat* in ſecundis Veſperis ſacrorum Stigmatum, ſicuti mox allata recitatur in primis, cum additione pariter particulæ *Hic*, aliorumque verborum circa finem, & eſt hujuſmodi: „ Crucis hic appa-

„ ret

„ ret hoſtia, tenſis in Cruce brachiis, ſex „ alis tecta variis cum vultus elegantia, quæ „ Franciſci cor attrahit, augens ei chariſmata, ſuaque ſacra Stigmata in ejus carnem „ potrahit. Salubris Chriſti paſſio noſtris inſit memoriis, impreſſaque præcordiis lacrymas det cum gaudio. Amen. „

Prætereundum ulterius non eſt, quod item narratur in Dialogo antiquo cap. 22., & in novo lib. 1. cap. 6. prælaudatum ſcilicet Comitem Symonem conſtruere feciſſe etiam ædiculas quinque prope Sacellum ſacrorum Stigmatum, quarum nunc quoque apparent rudera, pro quinque ſacerdotibus Minoritis, qui ſub ſtricta clauſura ſeparati ab aliis fratribus manentes, die noctuque in eodem Sacello divinum officium, & alias Eccleſiaſticas functiones devote perſolverent. Mittebantur hi a Miniſtro Generali pro tempore, uti diximus capite ſuperiori de B. Joanne Alvernicota, erantque ſanctiores ex toto Ordine delecti, & ſub immediata ipſius Miniſtri Generalis juriſdictione in prædictis cellulis habitabant, & habitare conſueverunt uſque ad annum 1431., quando, extincta Symonis linea, Comitum videlicet Battifollis, qui victum & veſtitum

ex inſtitutione ejuſdem Symonis illis quinque fratribus ſuppeditabant, ad commune cænobium iſti tranſierunt. Eodem vero anno 1431. quo fratres hi e cellulis ad Conventum remearunt, ne Stigmatum locus ſpeciali fraudatus remaneret honore, prudenter ſancitum fuit, ut ſingulis diebus ab uno ſacerdote Miſſa ibidem celebraretur, atque ab univerſis fratribus Alvernicolis quotidie ad eumdem fieret proceſſio, quæ, ut ſuperius innuimus, uſque ad hæc noſtra tempora religioſe peragitur.

Extat in eodem monte & Eccleſia major, quæ ob auctum fratrum, & confluentium populorum numerum inchoata fuit anno 1348. expenſis Domini Tarlati Petræ-malæ Comitis, ejuſque uxoris Joannæ Sanctæfloræ Comitiſſæ, uti conſtat ex verbis hiſce, quæ in proſpectu ipſius Eccleſiæ leguntur: „ Anno Domini MCCCXLVIII. nobilis mi- „ les Dominus Tarlatus de Petra-mala, & „ Domina Comitiſſa Joanna de Sancta-flora, „ uxor ejus, ædificari fecerunt iſtam Eccle- „ ſiam ad honorem beatæ Mariæ ſemper Vir- „ ginis.„ Hoc ipſum teſtantur etiam utriuſque inſignia, quæ tum intra, cum extra Eccleſiam ipſam in parietibus lateralibus conſpi-

ſpiciuntur. Sed quoniam hoc ædificium expletum non fuit, niſi anno 1457. cura, & induſtria fratrum, ære præſertim Conſulum artis lanariæ civitatis Florentiæ, idcirco iſtorum quoque ſtemmata in ſummitate ejuſdem interiori apparent. Ita refert cum aliis auctor novi Dialogi, teſtis oculatus, lib. 1. cap. 19., qui & alias plures ædiculas in eodem monte exiſtentes, & ſub variis denominationibus, devotionis cauſa ibidem ab antiquo tempore edificatas, recenſet, ac deſcribit. Capite vero 20. ejuſdem libri narrat, in Sacrario majoris Eccleſiæ aſſervari inter Reliquias panniculos quoſdam ſanguine madefactos, qui paulo poſt impreſſionem ſacrorum Stigmatum, e vulneribus in S. Franciſci imagine pennicillo expreſſis miraculoſe effluxit. Hos, ex eodem auctore, illuc attulit, & fratribus conſignavit illemet vir Teutonicus, qui ob ſuam incredulitatem ſigna illa a prædicta imagine delere tentaverat, nec ab opere deſtiterat, donec miraculo territus, & melior factus, e regione longinqua ad Alvernæ montem ſe contulit, & factum coram omnibus tum voce, cum ipſis panniculis ad abſtergendum ſanguinem adhibitis, teſtatus eſt.

His accedunt vetuſtiſſimæ S. Franciſci imagines, quæ ibi, ac in toto terrarum orbe, ut diximus, Seraphicum Patrem exhibent quinque vulneribus decoratum. Harum namque plurimæ, vix eo ad cælum rapto efformatæ, Stigmatum ejus veritatem mirifice corroborant, cum in hiſce præcipue vox, & ſuaſio populorum omnis nationis conveniat, qui etiam Eccleſias variis in locis, diverſiſque temporibus erexerunt, a Stigmatibus denominatas, nunc plurimum numero auctas, poſt inſtitutam Romæ Stigmatum eorumdem Sodalitatem, inter Catholicos propagatam, quorum conſenſum, & pietatem pluris merito facimus, quam hæreticorum, & intemperantium Criticorum nugas, & irriſiones. Iſtiuſmodi imaginum extra Alvernæ montem exiſtentium unam ex pene innumeris antiquiſſimam libet hic indigitare, quæ Bononiæ in Eccleſia S. Dominici in arca, ſive urna marmorea ejuſdem Sancti, a Nicolao Piſani ſculpta videtur. Hoc opus, quod in monumentis fratrum Prædicatorum ejuſdem urbis dicitur abſolutum anno 1229. & apud Georgium Vaſari pag. 17. editionis Romanæ anni 1759. alterius vero Taurinenſis anni 1668. pag. 71. in-

inchoatum legitur anno 1225., S. Franciſco adhuc vivente, perfectumque anno 1231., Seraphicum Patrem exprimit Stigmatibus notatum. Quare ſemper concludimus, quod ſi hujus impreſſionis publica extent in monte Alvernæ, & alibi monumenta, & cæremoniæ, quæ tum inde, cum illa accidit, exordium duxerunt, inter quas & ipſum feſtum computamus, poſt annos tantummodo ſeptuaginta ſex, ut alibi dictum eſt, a morte S. Franciſci inſtitutum, & in Eccleſia univerſali celebratum, juxta Leſhii regulam a Criticis receptam, de eadem impreſſione dubitari non poteſt.

CAPUT VIII.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci vera probatur ſingulari devotione, qua Romani Pontifices, & Viri Principes Alvernæ montem proſequuti ſunt.

PRæter Gregorium IX. Alexandrum IV. & alios Romanos Pontifices in ſuperioribus capitibus laudatos, qui de veritate Stigmatum clariſſimum perhibuerunt teſtimonium;

nium, eorum adhuc plurimi ſuere, qui veritatem eamdem ratam, & inconcuſſam habentes, hanc faſſi ſunt tum in propriis diplomatibus, tum peculiari devotione, qua ſummopere affecti Alvernæ montem variis privilegiis, & gratiis exornarunt. Siquidem, ut eorum aliquos recenſeamus, Innocentius IV. in ſuis litteris, *Licet cunctas*, ſcriptis anno 1250. locum Alvernæ ſub ſpeciali recepit Sedis Apoſtolicæ protectione, ſub qua anno 1255. eum ſuſcepit etiam Alexander IV. per ſuum diploma, *Si novæ militiæ*, in quo locum ipſum commendat, & præcipit, ne umquam deſeratur, ſed jugiter a fratribus Ordinis Minorum inhabitetur, ſicut mandavit etiam in alio, *Olim dum*, citato a Gonzaga part. 2. Conv. 17. Provinciæ Tuſciæ, & ab aliis. Idem Innocentius IV. præter Indulgentiam conceſſam miniſtrantibus ſubſidia pro Eccleſiæ conſummatione in monte Alvernæ, per aliud Breve, *Licet is*, alteram elargitus eſt quadraginta dierum tam viſitantibus ipſam Eccleſiam, quam facientibus eleemoſynam fratribus ibidem commorantibus. Nicolaus IV. vigore ſuarum litterarum, ſimiliter incipientium, accedentibus devotionis cau-

cauſa ad eamdem Eccleſiam in ſolemnitatibus Sanctorum Franciſci, & Antonii Patavini, & S. Crucis, ac per octo ſubſequentes dies, conceſſit pariter Indulgentiam unius anni, & quadraginta dierum. Bonifacius IX. ***Splendor paternæ gloriæ***, idem facientibus in feſto Stigmatum impertitus eſt eamdem Indulgentiam, quam lucrantur viſitantes Eccleſiam Portiunculæ apud Aſſiſium die ſecunda Auguſti. Rationem vero afferens hujus conceſſionis, inquit: „ Cum itaque, ſicut accepi-
„ mus, ad Eccleſiam domus fratrum Ordinis
„ Minorum, ſitam in monte Alverniæ Are-
„ tinæ diæceſis, in quo Dominus noſter Jeſus
„ Chriſtus beatum Franciſcum ſuis ſacratiſſi-
„ mis Stigmatibus inſignivit, tam Tuſciæ,
„ quam etiam multarum aliarum partium de-
„ votionis cauſa maxima confluat populi
„ multitudo. Nos cupientes &c. „ Has litteras Bonifacii IX. confirmarunt Sixtus IV. ***Ex injuncto nobis***, &, ***Dudum ſiquidem***, ac Innocentius VIII. *Paſtoris æterni*, qui ambo in reſpectivis litteris concedunt Eccleſiæ Alvernæ etiam Pænitentiarios, eligendos a Miniſtro Provinciali Etruriæ, vel, ipſo abſente, a Guardiano ejuſdem Conventus. Iſtis vero

Pæ-

Pænitentiariis ſic electis,pro feſto Stigmatum, pro diebus præcedentibus, & pro die immediate ſequenti impertiuntur„ facultatem ab-„ ſolvendi in caſibus, in quibus minores Pæ-„ nitentiarii in Eccleſia Principis Apoſtolo-„ rum de Urbe ſoliti ſunt abſolvere.„

Eugenius IV. in ſua Conſtitutione, *Quamvis de cunctis*, vi cujus inſtituit protectores, & defenſores montis Alvernæ Conſules, & Univerſitatem artis lanariæ civitatis Florentiæ, ita ſe exprimit: „ Inter ceteras „ religioſas Domos, in quibus fratrum Mi-„ norum Ordinis viget obſervantia regularis, „ domum S. Franciſci, de Alverna vulgari-„ ter nuncupatam, Aretinæ diæceſis, in qua „ venerabilis Confeſſor beatus Franciſcus ad-„ mirandæ ejus vitæ ſanctimoniæ fundamenta „ jecit, quibus Catholicæ fidei veluti ſoli-„ diſſimis columnis uſque in hodiernum diem „ fulciri noſcuntur, conſiderationis noſtræ „ intuitum dirigimus, ut quemadmodum „ ſpeciali prærogativa a beato Franciſco illic „ peractæ pænitentiæ, Stigmatibuſque Sal-„ vatoris noſtri miraculoſe in ſuo corpore re-„ ceptis illuſtratur, ita eo amplius, conce-„ dente Domino, augeatur, & conſervetur

„ in-

„ incrementis &c. „ Nicolaus V. *Inter ceteros*, Indulgentiam tribuit quatuordecim annorum, ac totidem quadragenarum facientibus eleemoſynam pro conſervatione Eccleſiæ, & Conventus Alvernæ. Gregorius XIII. *Salvatoris*, concedit „ ut quoties quicumque ſacer-
„ dos ſive ſæcularis, ſive regularis Miſſam in
„ altari majori Eccleſiæ parvæ monaſterii Or-
„ dinis fratrum Minorum de Obſervantia,
„ montis Alvernæ, Aretinæ diœceſis, pro libera-
„ tione unius animæ in Purgatorio exiſtentis
„ celebraverit, ipſa anima per hujuſmodi ce-
„ lebrationem eaſdem Indulgentias, & pec-
„ catorum remiſſiones conſequatur, & ad
„ ipſius liberationem, pro qua celebrabitur
„ dicta Miſſa, operetur, quas conſequeretur,
„ & operaretur, ſi prædictus ſacerdos hac de
„ cauſa Miſſam ad altare ſitum in Eccleſia S.
„ Gregorii de Urbe, ad id deputatum, cele-
„ braret. „ Per aliud autem Breve, *Sacra montis Alvernæ*, tribuit peculiares Indulgentias viſitantibus Eccleſiam majorem, & alias ædiculas, ſive Oratoria ſub diverſis nomenclaturis in eodem monte exiſtentia, pro quolibet loco peculiarem Indulgentiam. Paulus V. *Ad augendam*, concedit Indulgentiam ple-

na-

nariam viſitantibus eamdem Eccleſiam majorem in ſecundo feſto Pentecoſtes, & Clemens XI. *Exponi nobis*, confirmat litteras Bonifacii IX. quoad Indulgentiam Portiunculæ, ac illas Sixti IV. & Innocentii VIII. quoad Pænitentiarios, & extendit idem privilegium pro tribus diebus Pentecoſtes „ juxta præfatarum „ Sixti, & Innocentii litterarum formam. „

Idem Pontifex, *Ad augenda*, „ Chriſti „ fidelibus ad ſacra montis Alvernæ loca, in „ honorem S. Franciſci, qui ſignis Redem„ ptionis noſtræ mira Dei gratia, ut pie cre„ ditur, ſignatus fuit „ devote accedentibus ad Eccleſiam ſacrorum Stigmatum largitur in perpetuum Indulgentiam plenariam, etiam pro defunctis per modum ſuffragii applicabilem. Tandem Benedictus XIV., ut apparet ex litteris Cardinalis Petra, tunc Majoris Pænitentiarii, incipientibus, *Ex parte dilecti*, & aſſervatis in eodem monte una cum exemplaribus omnium aliarum nunc laudatarum, confirmat quoad Pænitentiarios diplomataSixti IV. Innocentii VIII. & Clementis XI. ac impertitur ulterius Guardiano Conventus Alvernæ auctoritatem deputandi pro quolibet anni die alios duos Pænitentiarios ex Confeſſa-

riis

riis approbatis ab Epiſcopo. Poſt tot Romanos Pontifices, qui Stigmatum impreſſionem in corpore S. Franciſci veram, & realem habentes, Alvernæ montem etiam ſacrum, & ſanctum dixerunt, hic numerandi forent Epiſcopi, & Cardinales, qui non minori erga Stigmata S. Franciſci devotione affecti, montem ipſum etiam pretioſis muneribus, quæ ibidem adhuc oſtenduntur, diverſis temporibus decorarunt. At ne infiniti ſimus, neve lectoris patientia abutamur, unum ex quamplurimis afferemus Neapoleonem Urſinum, S. Adriani Diaconum Cardinalem, & S. R. E. Legatum, qui cum Alvernæ jugum aſcendiſſet, & ſanctitatis veſtigia inibi exiſtentia contemplatus eſſet, in ſuis litteris datis Imolæ VI. Idus Julii Pontificatus Clementis V. anno 1. introeuntibus Eccleſiam S. Mariæ dicti montis concedit Indulgentiam centum & quadraginta dierum, totidemque tum viſitantibus Eccleſiam Stigmatum, tum audientibus concionem in monte ipſo; centum deferentibus victualia fratribus incolis; quadraginta iſtis concionantibus in illis viciniis, ac totidem ſubvenientibus eoſdem fratres in neceſſitatibus. Harum litterarum mentionem faciunt auctor Dialogi

ſa-

ſacri Montis lib. 2. cap. 7. & Waddingus ad ann. 1260. num. LVII. ac in eis loquens Cardinalis de Viro Seraphico, inquit: „ Hic velut „ Angelus aſcendens ab ortu ſolis, in ſacro „ loco montis Alvernæ, per operationem „ Chriſti in ſpecie Seraphim meruit ſacris „ ejuſdem paſſionis ſignaculis inſigniri. „ Eadem ferme habet etiam Jordanus, item Cardinalis Urſinus, Epiſcopus Sabinenſis, & Ordinis Minorum Protector, ſcribens de Alvernæ monte in quadam ſua epiſtola:„ Sanctiſſimus Dominus noſter Dominus Eugenius divina providentia Papa IV. ex fide dignorum intimationibus, & relatibus accepit notitiam, quod in loco montis Alvernæ, in quo S. Franciſcus, Pater, & Dux veſter, Crucifixi Stigmata ex apparitione „ Seraphica dono divinitatis obtinuit &c. „

Sed cur quæſo hæc tam propenſa in Alvernæ montem Romanorum Pontificum, & Prælatorum quamplurium pia liberalitas, & munificentia, niſi quia firmiter credebant, ibi S. Franciſcum Chriſti vulneribus inſignitum fuiſſe? Ita ſane, ut in eorumdem ſcriptis lucet apertiſſime; unde Alexander IV. centies adductus, *Romani eſt ſummi Pontificis*, con-

concedit etiam fratribus Alvernæ, ut in quolibet Italiæ loco pro ſuis, Conventus, aut Eccleſiæ neceſſitatibus quæſtum exercere, & res mendicatas, aut quocumque titulo acquiſitas, libere, & abſque ulla vectigalium ſolutione ad Conventum deferre poſſint. Siquidem ſcriptores plurimi & hanc aſſignant tot privilegiorum, & conceſſionum rationem, fidelium ſcilicet populorum ex variis mundi partibus concurſum, & affluentiam ad montem Alvernæ, ex quo nos inferimus, Stigmatum S. Franciſci veritatem omnium Catholicorum conſenſum fateri, & confirmare. Nec ſoli viſitarunt hunc montem, ac religioſos erga ipſum ſeſe oſtenderunt rudes, & illitterati homines, in quibus errores, & præjudicia ſiſtunt facilius, & radices figunt, ſed perſonæ etiam magni nominis, ſcientia, conditione, & dignitatibus conſpicui. Omiſſis brevitatis gratia Epiſcopis quamplurimis, necnon pene innumeris ſæcularibus Dominis, eos tantum indicabimus, qui licet in apice terrenarum dignitatum conſtituti, pietate ducti in beatum Franciſcum, ejuſque Stigmata, etiam e diſſitis regionibus advenientes, ſacrum Alvernæ montem conſcendere, ædicu-

laſque in eo ſitas viſitare non dubitarunt. Plures in primis jure hic laudandi forent Sereniſſimi Etruriæ Duces, qui nedum cum uxoribus, & filiis quam ſæpiſſime hunc montem in eorum ditione poſitum perſonaliter illuſtrarunt, ſed donis quoquè munificentiſſimis, tum ad loci ſplendorem, & conſervationem, cum ad fratrum ſuſtentationem collatis, nobilitarunt. Hanc eorum liberalitatem facile indicant inſignia gentilitia, tum ædificiis, tum ſacris veſtibus, tum jocalibus divino cultui deſtinatis, tum & libris impreſſa, & adhuc viſibilia. Verum quia nimis longum eſſet horum, aliorumque nomina, & beneficia ſingillatim vel tantum enumerando recenſere, idcirco de quibuſdam aliis mentionem faciemus, plurimis omiſſis, de quibus Waddingus ad ann. 1213. num. LII. compendioſe ſcribit: „ Hunc montem quamplurimi Heroes, „ atque Heroinæ, Duces, Principes, Reginæ, atque Imperatores ſua præſentia honeſtarunt. „

Robertus Siciliæ, & Jeruſalem Rex, S. Franciſco, ejuſque Ordini addictiſſimus, cum uxore ſua Regina Sancia, & filio primogenito Carolo Calabriæ Duce, Alvernæ montem devo-

devotiſſime viſitavit, uti referunt auctores tum antiqui, tum novi Dialogi ejuſdem ſacri montis lib. 2. cap. 8., ubi idem narrant etiam de Joanna Sabaudiæ, Græcorum Imperatori nupta, quæ Conſtantinopoli Romam, hinc pro ſuo pio in Seraphicum Patriarcham affectu Aſſiſium, moxque ad Alvernæ montem ſe contulit. Ex iiſdem auctoribus habetur, Joannam quoque Franciæ Reginam eumdem montem præſentia ſua illuſtraſſe, atque in Galliam ſubinde reverſam, fratribus commorantibus in quinque cellulis, de quibus capite ſuperiori loquuti ſumus, victum, & veſtitum, quoad vixit, propriis ſumptibus abunde miniſtrare feciſſe hac conditione, ut pro ea quotidie in Cappella ſacrorum Stigmatum Deum exorarent. Denique Henricus VII. aliis VI. Romanorum Imperator, & ipſe anno 1312. Alvernæ montem pietate vere Chriſtiana honeſtavit, ac univerſis hujuſce locis perluſtratis, in quibus factum aliquod recolitur memoria dignum, fratres incolas, eorumque Guardianum, qui erat eotunc beatus Joannes Firmanus, ratione incolatus ab Alverna dictus, ut alibi innuimus, ſub Imperiali ſua protectione benigne ſuſcepit, datis

de hac re ſpecialibus litteris, quæ exhibentur ab auctore novi Dialogi lib. 2. cap. 7. & in fine operis, ac a nobis in Supplemento ad Bullarium Franciſcanum, quarum tenor eſt hujuſmodi.

„ Henricus Dei gratia Romanorum Im-
„ perator, ſemper Auguſtus, nobilibus vi-
„ ris, & univerſis Vicariis civitatis, & di-
„ ſtrictus Aretii, ac Comitibus de Caſenti-
„ no, de Ubertinis, de Valenzano, Talla,
„ Bagnena, & de Cluſio, ceteriſque ſacri
„ Romani Imperii fidelibus præſenteis literas
„ inſpecturis, gratiam ſuam, & omne bo-
„ num.

„ Cum nos religioſos viros, Joannem
„ Guardianum, & fratres Minorum Ordinis
„ domus ſacri loci montis Alvernæ, devotos
„ noſtros dilectos, in protectionem noſtram,
„ & Imperii ſpecialem duxerimus aſſumen-
„ dos, fidelitati veſtræ firmiter præcipiendo
„ mandamus, quatenus (eoſdem Guardia-
„ num, & fratres loci prædicti nobis com-
„ miſſos habentes) ipſos in perſonis, & re-
„ bus ſuis auctoritate noſtra efficaciter defen-
„ datis, non permittentes ipſis a quoquam
„ moleſtiam, aut injuriam aliquam irrogari,
„ ſic

„ ſic ut indignationem noſtram, & pænam
„ arbitrio noſtro inferendam volueritis evita-
„ re, præſentium teſtimonio litterarum.

„ Datum in Caſtris ante Caſtrum Mon-
„ tis Varchii XVII. Kal. Octobris, anno Do-
„ mini 1312. Regni noſtri anno quarto, Im-
„ perii vero primo.„

Ex his omnibus magis magiſque liquet, & firmatur, Stigmatum impreſſionem in corpore S. Franciſci Seraphici veram eſſe, & indubitatam, utpote a fidelibus omnis conditionis, dignitatis, et gradus agnitam, & ore, ſcripto, atque factis quoque aſſertam. Univerſorum namque Catholicorum conſenſus, tot illuſtrium ſuffultus teſtimoniorum præſidio, ac ipſius Eccleſiæ approbatione, et auctoritate firmatus, merito nos impellit ad impreſſionem ipſam veram, et realem habendam, quidquid maligno aſtu, et abſque ulla prorſus ratione Novatores, et noſtri ſæculi intemperantes Critici contra eamdem effutiant, & moliantur.

CAPUT IX.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci feſto de eadem ab Eccleſia inſtituto roboratur.

TAnta fuit quorumdam Romanorum Pontificum in S. Franciſci Stigmata devotio, ex ea procedens animi perſuaſione, qua invictiſſimis ducti rationibus ea firmiter credebant, ut eorum aliqui nedum hortati ſint fideles omnes ad eadem pie quidem, ſed indubitanter credenda, ſed etiam exprobraverint quorumdam incredulitatem, ac pœnis quoque ſpiritualibus hos impulerint ad eorumdem veritatem amplectendam. Ita feciſſe Gregorium IX. & Alexandrum IV., ipſoſque, & alios etiam Indulgentias conceſſiſſe ſtatutis diebus lucrandas a frequentantibus devotionis cauſa Alvernæ montem, ex reſpectivis eorum litteris ſatis ſuperque intelleximus. Verum ut quidquam adhuc addamus, Gregorius IX. per ſuum Breve, *Seraphim volabant*, Indulgentiam concedit viſitantibus Alvernam die Septembris decima ſeptima, in qua Stigmatum im-

impreſſionis agitur memoria; Alexander vero IV. per ſuas litteras, *Cum ad promerenda*, eas concedit illuc accedentibus in feſtivitatibus Sanctorum Franciſci, Antonii Patavini, & Claræ Virginis, ac per alias, *Sanctorum meritis*, univerſis eumdem locum frequentantibus in omnibus ſolemnitatibus beatiſſimæ Virginis Mariæ. Horum pietatem, & affectum, qui utpote oculati teſtes, ut oſtenſum eſt, fontes aliorum fuerunt, ſucceſſores plurimi æmulati ſunt, in præcedenti capite recenſiti, qui favoribus Alvernæ montem cumularunt. Nunc, ut de feſto aliquid attingamus, de iis agemus Romanis Pontificibus, qui Stigmatum feſtum vel inſtituere, vel celebrius reddere ſtuduerunt.

Philippus Mornæus Lutheranus feſtum hocce ab Alexandro V., quia Minorita, præceptum fuiſſe ſcribit, ut ſui Ordinis fratribus gratum quid præſtaret. Hæretici hujus ignorantiam, ſive potius malitiam, confutat, ut in præfatione obſervavimus, Leonardus Coquæus Auguſtinianus to.2. in *Antidoto contra progreſſum ſexageſimum primum*, ubi ex pagina 508. Hiſtoriæ Papatus ab ipſo Mornæo conſcriptæ, hæc genuina refert iſtius verba:

 „ Ale-

„ Alexander V., quia Minorita, ut Ordini „ Minorum gratificaretur, legem ſtatuit, ut „ Stigmata Franciſci omnes Chriſtiani crede- „ re teneantur, in quorum etiam veneratio- „ nem feſtum inſtituit. „ Duo hic apertiſſime falſa eructat Mornæus hæreticus, voluiſſe nempe Alexandrum V., ut omnes Chriſtiani crederent impreſſionem Stigmatum S. Franciſci, horumque feſtivitatem ipſum inſtituiſſe, quæ, dicebam, ambo ſunt falſa, & iniquo animo ad invidiam excogitata. Falſum eſt primum, quia a nullo Summo Eccleſiæ Paſtore id unquam ſancitum legitur, ſi vel Alexandrum V., ut placet Mornæo, vel alium quemcumque intelligat hæreticus, ſicut intelligere videtur ut Eccleſiæ Romanæ imponat, hujusmodi, aut ſimili Conſtitutione arctare voluiſſe fideles ad Stigmata S. Franciſci ea fide credenda, qua Chriſtianæ religionis dogmata credere tenentur. Numquam enim Romanorum Pontificum ullus id ſomniavit, nec ipſe certe Gregorius IX. aut Alexander IV., quia licet in reſpectivis litteris alibi citatis ambo redarguant eorum inſolentiam, qui Stigmatum eorumdem veritatem negabant, atque ad hanc admittendam etiam anathemate,

te, & aliis pænis eos perſtringant, non tamen veluti dogma fide divina credendum, ſed tantum ut piam ſententiam, rationibus vallatam firmiſſimis, ideoque ſola humana fide religioſe colendam, impreſſionem ipſam fidelibus proponunt, quin vel Mornæus, vel hæreticorum alius contrarium aut oſtendere, aut evincere poſſint.

Falſum eſt ſecundum, quia feſtum Stigmatum, ſcriptoribus, qui de ipſo loquuntur, fatentibus univerſis, non Alexander V. Minorita, ſed Benedictus XI. Dominicanus, centum annis Alexandro antiquior, poſt annos videlicet tantummodo ſeptuaginta ſeptem a S. Franciſci morte evolutos, ut iterum diximus, inſtituit, & mandavit. Neque id Mornæus cum ſuis in crimen tanto Pontifici vertere debet, quoniam a P. Honorato a S. Maria tom. 2. lib. 1. diſſert. 1. art. 3. ſcimus „ Proteſtantes millies fuiſſe convictos, Eccleſiæ „ poteſtatem eſſe inſtituendi nova feſta, aliaſque id genus ſolemnitates „ quemadmodum & ipſi Synagogæ olim poteſtas fuit. Neque imponat Lutheranus, per hujuſmodi inſtitutiones nova dogmata ab Eccleſia conſtitui, quia cum factum aliquod inſigne, ſolis rationibus hu-

humanis feſtive colendum ipſa ſuis fidelibus proponit, in eadem ipſum relinquit pia credibilitate, qua prius gaudebat, & naturaliter gauderet adhuc, etiamſi feſtum de eo minime eſſet inſtitutum, licet fideles Eccleſiæ judicio tunc innixi, tutius factum ipſum hinc teneant, & colant. Benedictus igitur XI. primus fuit ſolemnitatis auctor & inſtitutor, ac poſt hujus Conſtitutionem, Minoritæ anno 1337. Caturci in Capitulo Generali congregati idem feſtum indixerunt ſolemniter in univerſo Ordine celebrandum, de quo & officium proprium ordinarunt, a fratre Gerardo Odonis, mox Generali Miniſtro, concinnatum. Waddingus propterea ad ann. 1228. num. LXXVIII. de eodem feſto pertractans, hæc habet: „ Miſ-
„ ſæ præfationem incipientem, *Qui venerandum Confeſſorem*, inſtituit ſanctus vir frater
„ Joannes de Alverna. Officium ſacrorum
„ Stigmatum concinnavit frater Gerardus Odo-
„ nis Gallus, ſub Joanne XXII. Generalis Mi-
„ niſter ;„ Eodem tempore hoc feſtum ab Eccleſia univerſali celebratum fuiſſe ſcribit idem Annaliſta ad ann. 1224. num. XV. dicens: „ A
„ multis annis præclariſſimi, & ſingularis hujus
„ Dei muneris in Sanctum Franciſcum com-

„ me-

„ memoratio fit in tabulis Eccleſiæ. Ea habetur
„ ad decimam ſeptimam Septembris in Marty-
„ rologiis Franciſci Maurolici, Petri Galeſinii
„ in additionibus ad Martyrologium Uſuardi,
„ utriuſque impreſſionis Joannis Molani, &
„ in Romano vetuſto apud me MS. In Romano
„ item impreſſo anno 1509. & tandem ut in
„ novo per Cæſarem Baronium recudendo,
„ eadem die reponeretur hoc feſtum manda-
„ vit Sixtus V., ſcriptis ſua manu ſequentibus
„ verbis, quibus illud voluit recenſeri: „ *Commemoratio impreſſionis ſacrorum Stigmatum, quibus S. Franciſcus, Ordinis Minorum Inſtitutor, in ejus manibus, pedibus, & latere, mira Dei gratia in monte Alvernæ in Hetruria impreſſus fuit.*

Coquæus pariter loco laudato reſpondens Mornæo, inquit: „ Multorum teſtimo-
„ niis, & fidiſſimis relationibus comprobata
„ fuere S. Franciſco impreſſa Stigmata, de qui-
„ bus S. Bonaventura in hiſtoria vitæ S. Fran-
„ ciſci cap. 13., de quibus & in Martyrolo-
„ gio Romano decima ſeptima Septembris:
„ *Commemoratio*„ ut ſupra, poſt quæ immediate proſequitur Coquæus: „ In quem Marty-
„ rologii locum Baronius: „ *Porro rem adeo*

ad-

admirabilem, ac tantopere teſtatam, Benedictus Papa XI. anniverſaria ſolemnitate duplici officio Eccleſiaſtico voluit celebrari, quam, neſcio quomodo lapſam, in Martyrologio Romano hac die recenſeri, hocque loco poni Sanctiſſimus D. N. Sixtus Papa V., tanti Patris alumnus, mandavit. Lapſam, ut ait Baronius, Stigmatum S. Franciſci ſolemitatem, ſive potius „ dum multis in locis „ ut ſcribit Waddingus „ negligeretur, Paulus V., ut corda fi- „ delium in Chriſti crucifixi accenderentur „ amorem, intercedente Philippo III. Hiſ- „ paniarum Rege Catholico, negotiumque „ promoventibus Illuſtriſſimo Domino Ga- „ briele de Trejo S. R. E. Cardinali, & Re- „ verendiſſimo P. Antonio a Trejo, Ordinis „ ſupremo Rectore, modo Epiſcopo Cartha- „ ginenſi, ejuſdem Cardinalis fratre germa- „ no, adſcribentibus ceteris ſacrorum Rituum „ præfectis Cardinalibus, reſtituit. „ Cuncta hæc Benedictus XIV. in egregio ſuo opere de Servor. Dei Beatif. & Beatorum Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 9. num. 11. verbis hiſce complectitur: „ Itaque quamvis in lectionibus „ officii, quod recitatur die feſto S. Franci- „ ſci in Eccleſia univerſali, mentio habere-

„ tur

„ tur ſacrorum Stigmatum, Benedictus XI., „ ut cæleſtis hujus charitatis memoria peculiariter coleretur, feſtum ſacrorum Stigmatum S. Franciſci inſtituit, veluti referunt „ Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem 17. Septembris, & „ Pagi in Brviario Romanorum Pontificum „ tom.3.p.337.SixtusPapa V.elogium compoſuit, quod habetur in Martyrologio Romano „ ad prædictam diem 17. Septembris, teſte Tiburtio Navarro in vita S. Franciſci cit. lib. „ cap. 5., & particulare tandem officium eadem die recitandum prius indultum eſt Religioſis S. Franciſci, extenſum deinde ad „ alios locos, & Diæceſes, poſtremo ſub „ Paulo V. ad Eccleſiam univerſalem propagatum. „ Ipſemet Benedictus XIV. in nova editione Martyrologii Romani fideliter edi voluit elogium a Sixto V. compoſitum.

Officium hoc particulare, quod a Franciſcanis in feſto Stigmatum recitatur, eſt illud idem, quod, ut ſupra dictum eſt, a fratre Gerardo Odonis compactum fuit, & in quo ad Matutinum dicitur Invitatorium „ Regi, „ quæ fecit, opera Chriſto confiteantur, cujus „ in Sancto vulnera Franciſco renovantur „

quod

quod repetitur etiam in ejus feſto die 4. Octobris. In primo nocturno ponuntur lectiones ex cap. 5. & 6. ad Galatas, in qua habetur, & legitur etiam in Miſſa; „ Ego enim Stigma„ ta Domini Jeſu in corpore meo porto; „ & in ſecundo leguntur lectiones ex Legenda S. Bonaventuræ deſumptæ, ut alibi quoque adnotavimus, in quibus hiſtoria Stigmatum egregie deſcribitur. In utriſque Veſperis, & Laudibus dicitur verſiculus cum reſponſorio „ Signaſti, Domine, ſervum tuum Franci„ ſcum, ſignis redemptionis noſtræ; „ & in hymno canitur in primis Veſperis:

Vertex montis inflammatur,
Vicinis cernentibus,
Cor Franciſci transformatur
Amoris ardoribus,
Corpus vero mox ornatur
Mirandis Stigmatibus.

In illo vero Matutini habetur „ Crucis hæ„ rens veſtigiis, Crucis fructum conſequitur, „ Quo corde, carne pungitur, & ſignatur „ indiciis. „ Ab Eccleſia univerſali in eodem feſto dicuntur verſiculus, Lectiones, & Epiſto-

ſtola ut ſupra, & in hymno, *Iſte Confeſſor*, Veſperarum, & Matutini cantatur: „ Hac „ die lætus meruit beata vulnera Chriſti; „ ſicut in alio ad Laudes dicitur: „ Anni rever- „ ſo tempore, Dies refulſit lumine, Quo „ Sanctus hic de corpore, Chriſti recepit „ Stigmata „ & hæc omnia Romanorum Pontificum approbatione, & permiſſu tum a Franciſcanis, cum ab univerſo Clero recitantur una cum oratione omnibus communi, in qua impreſſio ſacrorum Stigmatum non minus abſolute, & clare exprimitur.

Alii Summi Pontifices, Pauli V. tum prædeceſſores, cum ſucceſſores, idem feſtum extulerunt, & gratiis exornarunt. Clemens XII. per ſuas litteras, *Cæleſtium munerum*, datas die 31. Auguſti anni 1731. concedit Indulgentiam plenariam univerſis Chriſtifidelibus, viſitantibus in feſto Stigmatum quamcumque Eccleſiam Ordinis Minorum, in quibus idem feſtum ſub ritu duplicis ſecundæ claſſis celebratur, quemadmodum a ſemiduplici ad duplicem ritum ultimo ipſum extulit in Eccleſia univerſali Clemens XIV. Pia hæc tot Romanorum Pontificium ſollicitudo, quæ eos impulit quoque ad probandam, & privile-

legiis cumulandam fidelium Sodalitatem ab iiſdem Stigmatibus denominatam, quæ primum, ut etiam alibi diximus, Romæ erecta, & nunc celeberrima, jam longe lateque propagata eſt, ſi non hæreticos, quos hic non alloquimur, Catholicos certe movere debet ad Stigmatum impreſſionem in corpore S.Franciſci, pie ſane, ſed firmiter credendam. In hac vero credibilitate magis magiſque eos confirmare debet totius Eccleſiæ conſenſus, fidelium nempe omnium pietas, & religio, qui Supremo Paſtori libenter, ac humiliter, ut decet filios, obſequentes, hujus impreſſionis veritatem admittunt, & fatentur, Miſſamque, & officium de ea recitant, in quibus impreſſio ipſa, ut modo dicebamus, ſolemniter commemoratur. Si hæc etherodoxos, & Eccleſiæ rebelles non excitant, iſtius devotos filios utique ſuadere debent, quos non latet, quanta maturitate, & diligentia in hiſce rebus ipſa procedat, quique non ignorant, multorum teſtimoniis, & fidiſſimis relationibus, etiam juridice libratis, & ſub juramento acceptis, S. Franciſci Stigmata eam probaſſe antequam de iſtis feſtum inſtitueret.

„ Facta hiſtorica „ inquit P. Honoratus tom.

tom. 1. diſſert. 7. art. 9. §. 3. „ ſive demum „ quædam celebritates in Dei, Mariæ Virginis, Sanctorumque cultum inſtitutæ, quæ „ ad pietatem excitandam, & fideles Chriſti „ optimis exemplis imbuendos maxime conferunt, ſive tacita Eccleſiæ conſenſione „ probentur, ſive nobis propoſita ſint in „ Martyrologiis, Miſſalibus, Kalendariis, „ aliiſque ſimilibus Eccleſiaſticis monumentis, conſtans eſt, prudenter agere illum, „ qui hæc ſuſcipit eo animo, eaque ratione, „ quibus ad nos traducta ſunt, nimirum tamquam traditiones, & facta veri ſimillima. „ Si namque ex eodem auctore tom. 2. diſſert. 3. reg. 1. „ nulla eſt pia traditio recipienda, quæ argumentis rei, de qua agitur, aptis, non fulciatur; „ illa profecto admittenda eſt, quæ hiſce ſolidatur invictiſſimis, ab ipſa Eccleſia rigide expenſis, & admiſſis, quia „ pietate Chriſtiana cogimur, „ eas potius ſequi partes, a quibus Eccleſia „ eſt, quam nonnullorum Criticorum, qui „ pias traditiones ad fabulas amandant. „ Catholicorum plurimos, hac noſtra ætate videmus, qui ſingularitatis, & inanis gloriolæ amore Eccleſiæ partes relinquunt, & Criticis

pias traditiones ſolo faſtidio ſuo negantibus, imo hæreticis ipſis adhærent, ac proprias phantaſias clariſſimorum virorum, ejuſdemque Eccleſiæ maturo judicio ita præferunt, ut iſtius, illorumque auctoritatem, & rationes deſpiciant. Hi profecto ex illis ſunt, „ qui „ ſcribit Muratorius de Ingen. Moderat. lib. 1. cap. 2. „ ſibi videntur cordati, ſa„ pienteſque viri, quum unius ſuæ mentis „ vocem, ac judicium audiunt, aliorumque „ contemnunt; & ad deſtruendum, quam „ ædificandum aptiores, aut nihil probant, „ aut id ſolum probant, quod animi ſui ap„ petitibus blanditur, & quod ſuæ tantum „ meditationis aciei perſpicuum, firmiſſi„ mumque apparuit. „ Superbiæ vento miſerrime inflati, nova quotidie ruminant, ac temeritate pleni contra ipſius Eccleſiæ mentem eructant, illud ejuſdem Muratorii ignorantes cap. 12 „ auctoritatem ingenii noſtri „ cedere debere, ubi auctoritas Eccleſiæ in„ tercedit „ atque illud cap. 16. „ novitatem „ inter ſigna erroris habendam eſſe. „ Ut hanc vero ſuam honeſtent audaciam, & temeritatem, ſe in his attentandis zelo Eccleſiaſticæ diſciplinæ duci gloriantur, expro-

bran-

brantibuſque reponunt, in Martyrologio, in Breviario, & in aliis conſimilibus libris fabulas multas inſertas eſſe, & facta minime digna, quæ a viro ratione utente recipiantur.

At neſciunt hæc ajentes noſtri ſæculi doctores, quod „ ſi occurreret in Breviario fa-„ ctum aliquod falſitatis ingerens ſuſpicio-„ nem, non ſunt propterea cetera omnia ad „ fabulas ableg2nda, ſicuti non aſpernamur „ ſcriptoris alicujus teſtimonium, qui captus „ nonnumquam fuerit in narrando. „ Hiſtoriam impreſſionis ſacrorum Stigmatum in corpore S. Franciſci Seraphici, quam ex Divo Bonaventura, ut notavimus, Eccleſia legendam proponit in Breviario Romano, ſuſpicionem falſitatis haud ingerere poſſe, ex hactenus dictis facile quiſque, evidenterque perſpiciet, ſimulque affirmabit, ſi ratione tamen, & docilitate non careat. Tot enim, ac tanta ſunt monumenta, juxta regulas Critices invictiſſima, quæ realitatem hujus impreſſionis aperiunt, & evincunt, ut nonniſi cæcus, aut pervicax fidem eis denegare poſſit. Monumenta autem iſthæc ſi parumper animo libraſſet, aut ſaltem una ſemel legiſſet

Joannes Baptiſta Thiers, vel quicumque ſit auctor diſſertationis gallicæ contra P. le Franc, hujus capiti 4. hoc non præmiſiſſet argumentum: „ Stigmata S. Franciſci haberi nequeunt „ pro veritate conſtanti. „ Et ſane, quas rationes Thierius affert ad hanc ſuam propoſitionem probandam, aut quod examen inſtituit rationum, quæ pro veritate Stigmatum producuntur? Nullum omnino, ut ejus diſſertationem legenti luculenter apparet, unde Criticum agens, peccat contra hanc Criticorum regulam, quam ab omnibus receptam tradit P. Honoratus tom. 2. lib. 1. diſſert. 1. art. 3. & eſt hujuſmodi: „ Recte ſapientibus, & veri-
„ tatis amatoribus propoſitum eſſe debet in-
„ veſtigare, nonne mos hic, ſolemnitas iſta,
„ pia ihſtæc opinio ſatis habeat teſtimonii, &
„ firmitatis; an traditio de ea nobis relicta ſit
„ ſolida, quantum intereſt eſſe; num facta
„ hæc tantum hiſtorica, quæ per manus ho-
„ minum ad nos uſque devenerunt, proba-
„ bilitate polleat ad rectæ critices regulas
„ exacta, ut illis aſſentiamur, & fovendæ
„ Chriſtianorum pietati objici poſſint, quin
„ ipſis credentes nimiæ credulitatis, & ſu-
„ perſtitionis redarguantur, itemque utrum
„ æquius

„ æquius ſit illa amplecti, quam rejicere. „ An horum vel unum egerit Thierius in S. Franciſci Stigmatibus vellicandis, ac proinde an recte ſapiens, & veritatis amator dici queat, pro ipſo jam ſepulto videat novorum opuſculorum collector, ac Thierianæ diſſertationis traductor, & laudator. Scioli noſtri dum Stigmatibus hiſce bellum indicunt, nec unum quidem ſervant ex iis, quæ Critici præſcribunt, neglectis enim, peſſumdatiſque rationibus, auctoribus, & Eccleſia, gratis eadem inficiantur, vel ſubſannant, horumque feſtum, quia ita ipſis placet, vel potius, quia ipſis non placet, penitus abjiciunt, & propriæ vocis auctoritate ſuperſtitionem, illuſionis fomentum, & idcireo damnabile edicunt, ut in ſequenti capite obſervabimus. „

CAPUT X.

Feſtum impreſſionis ſacrorum Stigmatum in corpore S. Franciſci Seraphici ſuperſtitionem non eſſe, ut Critici nonnulli effutiunt, declaratur, & oſtenditur.

MOnuimus in præfatione, Jacobum le Fevre d'Etaples, Bælio referente in ſuo Dictionario Hiſtorico critico, loco ibidem citato, damnare feſtum ſacrorum Stigmatum S. Franciſci tamquam ſuperſtitionem, eique eſſentiri Bælium ipſum, qui exultans in rebus peſſimis adnotat in margine, ipſius Jacobi verba afferri a Simonio in Hiſtoria novi Teſtamenti cap. 34. pag. 494. & 495. Vult impius Bælius hanc ſuperſtitionem in eo eſſe, quod factum hocce mirabile, fidelibus propoſitum, injicere poſſit devotas animas in illuſionem, ac in multis mentis alienationem, & ecſtaſim excitare, quæ & illorum eſſe videtur opinio, qui idem feſtum interdicunt, & ab Eccleſiæ Kalendariis adimunt, & excludunt. At nobis hæc audientibus potius lætandum, quam dolendum eſt, quia nos adver-

vertunt, S. Franciſci Stigmata ab illis ipſis oppugnari, a quibus Eccleſiæ dogmata aggrediuntur, quales ſunt Novatores, vel a quibus ejuſdem ſacri ritus, & piæ opiniones reprobantur, qui ſunt noſtri ſæculi intemperantes Critici, quique odientes lucem, illuminati dici volunt. Hi namque licet hæreticorum nota ab Eccleſia affecti non ſint, quia tamen in rebus ad religionem ſpectantibus nimis audaces, ac temerarii, apud cordatos, pioſque viros non bene audiunt, & peſſime olent.

Etenim le Fevre in primis, ſuſpectæ fidei, & inquietæ indolis homo, accuſatus ut fautor hæreſis Lutheranæ, laurea doctorali privatus, Pariſiis expulſus fuit, ut de eo ſcribit auctor Dictionarii auctorum Eccleſiaſticorum, qui etiam addit, quod cum eſſet Vicarius generalis Epiſcopi Meldenſis; hæreſis Calvinianæ ſuſpecti, & ipſe d' Etaples reus habitus eſt ejuſdem impietatis. Richardus Simonius a clariſſimo Boſſueto in defenſione Traditionis, & Patrum part. 1. dicitur contemptor Patrum eorumdem, & auctoritatis Eccleſiæ, utpote qui dubia reddere ſtudeat ſacratiora noſtræ religionis myſteria, ac eo

tendat, ut traditionem e medio tollat, religionemque evertat univerſam, extollendo auctores hæreticos, & doctioribus hos præferendo Eccleſiæ Patribus, quorum, nunc Socinianus, nunc apparenter Catholicus, contemptum legentibus inſpirat. De Petro Bælio non eſt quod multa dicamus, cum univerſalem pyrrhoniſmum inducere, & providentiam, ipſamque divinitatem negare auſus ſit, unde omnium fere ſententia vel Manichæus, vel Epicuri de grege porcorum, & aperte atheus dicitur. Innumera namque ſunt in ejus operibus loca, in quibus atheiſmum commendat, & promovet, cælum, vitam futuram, fidem, quam de his habent Chriſtiani, ſanctum quoque, & terribile Dei nomen, ubicumque ipſum reperit, impio calamo irridere non timet. Religionem nullam neceſſariam eſſe contendit, Chriſtianam vero ad ſocietatem fovendam, & conſervandam ineptam eſſe dicit, atque harum nulli devotus, eum laudibus effert, qui Deum non agnovit. Quid mirum igitur ſi hujus furfuris homines S.Franciſci Stigmata non admittant, atque horum feſtum reprobent, & excludant? Potius mirandum eſſet, ſi in religionem, & in Deum

im-

impii, & blaſphemi, in S. Franciſcum, ejuſque Stigmata pietatem aliquam profiterentur, quod eſt omnino impoſſibile, quia pius nequit eſſe in ſervum, qui ſpernit, aut neſcit Dominum.

Blaterant hi perditiſſimi, Stigmatum S. Franciſci feſtivitatem ſuperſtitionem eſſe, illuſionis videlicet, & ecſtaſis fomentum, quod ſuperſtitionis novum genus dicendum eſt, quoniam ſi ex Divo Thoma 2. 2. q. 92. art. 1. „ ſuperſtitio eſt vitium ſecundum exceſſum „ religioni oppoſitum, eo quod cultum afferat vel ei, cui non oportet, vel eo modo, „ quo non oportet „ novam hanc bælianam ſuperſtitionem non intelligimus, niſi cum Proteſtantibus Sanctorum cultus in genere dicatur ſuperſtitio. At quamvis id voce, non rationibus exaltent hæretici, & ſceleſtiſſimi viri, modernorum quorumdam nihilominus male affectos animos alliciunt; qui proinde licet in Eccleſia Catholica nutriti, nebulonibus iſtis potius, quam ipſi Eccleſiæ matri adhærent, & ſubſcribunt. Illud Muratorii profecto de Ingen. Moderat. lib. 2. cap. 1. ignorant eruditiſſimi noſtri, quamquam ipſomet rationis lumine notum; „ Expendendum

„ dum eſt, vires ne majores apud illos ſuum, „ an totius Eccleſiæ Catholicæ judicium ſit „ habiturum. „ Imo contra Eccleſiam ipſam audacter inſurgentes, & feſtum ab ea inſtitutum reprobantes, illud amplectuntur, quod ipſis cæcutientibus in lumine videtur bonum, illamque negligunt regulam ab eodem auctore ibidem cap. 2. allatam, & a prudentia ipſa, & ratione præſcriptam : „ Circumſpiciendum „ eſt, ne dum unum bonum ex una parte quærimus, gravius ex alia malum incaute excitemus, qualia ſunt ſchiſmata, ſcandala, „ funeſta diſſidia, atque horum ſimilia . . . . „ Præponendus eſt enim ex inſtitutione charitatis amor Dei, & Fidei, & Eccleſiæ ceteris „ amoribus. . . . Iſtam legem religio, & philoſophia ſummopere commendant; „ & quidquid vel ſine iſta, vel contra iſtam fit, bonum eſſe haud quaquam poteſt, etſi agens nedum bonum, ſed optimum ſibi proponat finem, quia „ bonum „ ut fert adagium „ „ ex integra cauſa, malum ex ſingulis defectibus . . „ Scribit enim & ipſe Muratorius cap. 1. atque ratio ipſa ſuadet „ recta eſſe non „ poſſe hominum opera, niſi a juſtitia vera „ procedant, & charitatem chriſtianam du-

cem,

„ cem, prudentiam vero comitem habeant.„ Eccleſia de veritate Stigmatum S. Franciſci tutiſſima, impreſſionis eorumdem feſtum indixit, dignum ducens, & pium, tam inſignis, & inauditi portenti quotannis celebrare memoriam, ut hoc tam ſingulari exemplo, ut ait etiam in oratione ejuſdem feſtivitatis „ corda fidelium in Chriſti crucifixi accenderentur amorem. „ Quænam hic ſuperſtitio, quid irreligioſum? Nil profecto, niſi irreligioſum, & ſuperſtitionem dicere velimus, Chriſtum crucifixum diligere, atque ad id excitare hominum corda, quod horrendum eſt dictu, impium, & baſphemum, Scripturæ, & rationi contrarium, quæ præcipiunt, ac etiam intra nos valide clamant, ut Redemptorem noſtrum pro nobis paſſum, & mortuum redamemus.

Si igitur Eccleſia ad hunc finem Stigmatum feſtum inſtituit, ut nempe ex vulneribus Chriſti in beato Franciſco impreſſis, & in eodem veluti in exemplari quodam conſideratis, fidelium mentes ad illa ipſius Redemptoris meditanda conſurgant, ut hinc eorumdem corda iſtius amoris igne inflammentur, objectum hujus feſtivitatis non eſt, niſi dignum, juſtum, & ſan-

ſanctum. Cum vero ut tale proponatur ab Eccleſia, nihil ſuperſtitionis in eo pertimeſcimus, aut ſuſpicari poſſumus, ac proinde tantæ matris innixi judicio, totius Catholici orbis firmato conſenſu, qui feſtum hujuſmodi ex quo inſtitutum fuit, pie colit, & celebrat, modernorum intemperantium dicteriis, ac temerariis auſibus non movemur. Traditiones, uſus, & conſenſus Eccleſiæ nobis pro regula ſunt, quoſque huic adverſari conſpicimus, inobedientes, refractarios, pacis, & charitatis violatores, & inimicos habemus, quorum idcirco voces, probatione, & veritate deſtitutas, ac eò directas, ut pietatem adimant, & religionem attenuent, pudet audire. „ Lectoris judicium ſit pronunciare, „ inquit P. Honoratus tom. 2. lib. 1. differt. 1. art. 3. „ nonne viri poſtremorum ſæculorum ſa-
„ pientes, queis viſum eſt, ipſorum referre
„ in pias traditiones inſurgere, & decertare,
„ majus ſibi fundamentum ſternant, ac fideles
„ obſequenti illas animo ſuſcipientes, reſpon-
„ denteſque conſilio Eccleſiæ, quæ id rerum
„ genus in medium affert, ut ſuorum pietatem
„ excitet, tamquam inſtrumenta ſenſibus obno-
„ xia, quæ pias animi affectiones in officio con-

„ ti-

Digitized by Google

„ tineant, non tamen extorqueat ab ipſis fidem „ eamdem, ac flagitat rebus, religionem, „ & mores optimos attingentibus. „ Feſtum ſacrorum Stigmatum ecſtaſim, & mentis alienationem, ſive rectius, elevationem, in contemplantibus ipſa Stigmata producere poteſt, & devotas animas in illuſionem præcipitare. Ita moderni noſtri delicatuli, & puſillanimes, quibus nova pietate imbutis placet hanc mentis alienationem, ſive ecſtaſim, appellare ſuperſtitionem. At ſi omne, quod effectum hujuſmodi producere poteſt, dicatur ſuperſtitio, ideoque inhibendum ſit, & vitandum, jam ſuperſtitiones erunt, penitus eliminandæ,& ipſæ meditationes philoſophicæ, rerum ſcilicet mere naturalium, & idcirco libri omnes interdicendi erunt de iſtis pertractantes, ac per conſequens nec ſcientiis, nec artibus incumbendum erit, quia horum quoque ſtudium, & meditatio profunda, mentem a ſenſibus abſtrahere poteſt, ut centies contigiſſe, ac paſſim in dies evenire hiſtoria, & experientia nos docent.

Verum his omiſſis rerum naturalium exemplis, intimius inſpiciamus quò nos recentiores noſtri, veri Janſeniani, ſub pietatis lar-

larva ſomnia ſua vendentes, ducere velint, ut hinc pateat, quam bene de ipſis dici poſſit illud. *Malus, bonum ubi ſe ſimulat, tunc eſt peſſimus*. Si memoria Stigmatum S. Franciſci recolenda non eſt, quia ecſtaſim fovet, jam ſequitur, quod nec Martyris, nec alterius cujuſcumque Sancti feſtivitas celebranda ſit, cum hæc quoque eumdem effectum in piis, & devotis parere poſſit, ac propterea & hæc erit ſuperſtitio, adeoque interdicenda ut volunt Proteſtantes. Devotæ namque animæ vel martyrium, vel ſingularem aliquam Sancti alicujus virtutem, aut gratiam ſerio, & vivide in ejus feſto meditantes, a ſenſibus abſtrahi poſſunt eodem modo, quo in contemplandis S. Franciſci Stigmatibus poteſt eis evenire. Sequitur etiam, quod cum idem contingere queat, & ſæpe revera contingat, in revolvendis animo Sanctorum actibus, aut in imaginibus expreſſis, aut in libris deſcriptis, Sanctorum omnium vitæ, & figuræ nullibi unquam intuendæ erunt, aut legendæ, ſed abſolute ab omnium oculis abſcondendæ. Horum proinde opinamenta eò directa ſunt, ut Sanctorum cultum, & feſtivitates, necnon geſta, & imagines cum Ichonomachis deleant, tamquam illuſionis fo-

ſomenta, ſive, ut ipſi loquuntur, ſuperſtitiones. Eò nos trahere volunt hujus ſæculi filii, ut a Martyrum, aliorumque Sanctorum actibus vel meditandis, vel etiam legendis abſtineamus, ne in ecſtaſim rapti ſupra ſenſus elevemur.

Sed, quod gravius eſt, eò nos ducere tentant, ut ne ipſam quidem Salvatoris noſtri paſſionem perlegere, aut contemplari debeamus, quia mens noſtra in tali meditatione defixa, facilius ſupra ſe abripi poteſt, quemadmodum in plurimis eveniſſe ſcimus, in ipſo quoque Seraphico Franciſco, cujus Stigmata doctorum noſtrorum aliqui a phantaſia repetunt, valida Crucifixi meditatione ſuccenſa, ut in præfatione tetigimus, & in ſequenti capite fuſius dicemus. Superſtitio erit per conſequens & ipſa paſſionis Chriſti memoria, ac proinde inhibendæ erunt Redemptoris noſtri patientis imagines, & feſtivitates, concremandi erunt libri omnes, nec ipſis exceptis Evangeliis, de Chriſto paſſo, & pro nobis mortuo pertractantes, ejus mors contra præceptum Pauli non erit annuntianda, nec iſtius commemoratio facienda, contra ipſius Chriſti mandatum. Nec rideant ad has illationes eruditi noſtri, quia

quia ſi ecſtaſis excitari poteſt in contemplatione exemplaris, ideſt S. Franciſci, Stigmatibus inſigniti, multo magis idem ſequetur effectus in conſideratione prototypi, nempe ipſius Chriſti crucifixi; atque adeo ſi ſuperſtitio eſt, & idcirco delenda Stigmatum feſtivitas, talis erit, & penitus interdicenda vulnerum Chriſti, ejuſque paſſionis grata recordatio. Hinc propterea interdicendum erit quidquid Eccleſia quotannis religioſe agit, præſertim in Quadrageſima, & in Majori Hebdomada, imo & quotidie in Miſſis, ut paſſionis, & mortis Chriſti recolat memoriam. Si ſapientes namque noſtros audiamus, fovent ſuperſtitionem ritus, & cæremoniæ, quibus Eccleſia debitum Sponſo ſuo ſolvit honorem, atque hiſce gratos in ſuis filiis erga crucifixum Dominum affectus excitare ſtudet. Sed quis non videt, eos, qui ita ſentiunt, & docent, eſſe vulpes ignem in Eccleſiæ agrum ad ſegetum deſtructionem immittentes? Sub ſpecie pietatis, & purioris diſciplinæ prætextu, ſubtrahunt fidelibus exempla, & præſidia, quæ in Sanctorum, & præcipue Chriſti Redemptoris meditandis actibus ipſi reperiunt ad propriæ infirmitatis levamen, unde ex illis

eos

eos eſſe dignoſcamus, qui, ut Chriſtus ipſe prædixit, veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.

Huc ſi tendit ſapientum noſtrorum ſecundum carnem nova doctrina, & vulpina religio, ſub qua veram impietatem abſcondunt, & in alios quoque traducere omni conatu procurant, ſummopere ab ipſis, & eorum artibus nobis cavendum eſt. Sapientiores aliis apud ſemetipſos, non audent miris factis aſſentiri, ne inter ſimplices computentur, aut cum plebis credulæ vulgo, ſæpiuſque ſuperſtitioſæ adnumerentur, & vere nubes errantes, ſuperbiæ vento inflati huc illuc circumferuntur, ac Stigmatum quoque S. Franciſci veritatem negant, & feſtum interdicunt. Nos vero eorum novitates deteſtantes, Eccleſiæ matri, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, quamque ipſa veritas, & Magiſter Chriſtus nobis audire præcepit, firmiſſime adhæremus, ſcientes, ipſam, non voce ignorantis plebis, aut rumore vulgi deceptam, ſed invictis argumentis, & evidentiſſimis rationibus ductam, S. Franciſci Stigmata ut vera probaſſe, horumque feſtum inſtituiſſe, non ut ſuperſtitionem in nobis fo-

 veat,

veat, ſed ut ad recolendum tam inſigne prodigium, divinitus in Seraphico Viro patratum, nos erigat, atque hinc ab hoc exemplari ad ipſa Chriſti vulnera meditanda, atque ex hac meditatione ad Salvatorem ipſum amandum corda noſtra moveat, & inflammet. Superſtitionem, quam Critici noſtri pertimeſcunt, nos e contra deſideramus, ecſtaſim nempe, & mentis elevationem in Chriſtum crucifixum, quem pro nobis paſſum, & vulneribus affectum contemplari debemus, ut ex tali meditatione, quam ipſa gratitudo ſuadet, diſcat eruditus animus grates ei rependere, terrena cuncta deſpicere, & amare cæleſtia. Cum vero ad id media ſint aptiſſima S. Franciſci Stigmata, quidquid Janſeniani ſentiant, horum feſtum agimus cum Catholicis univerſis, quorum aliqui ad majorem ipſius Dei gloriam, & Seraphici Patriarchæ honorem, Romæ anno 1594. etiam piam inſtituerunt, ut capite tertio diximus, fidelium Sodalitatem a Stigmatibus iiſdem denominatam. Hæc autem, cui Romanorum nobiliſſimi fere omnes, & alii quamplurimi nomen dant, pluribus in locis exinde erecta, occaſionem dedit multas Eccleſias ſub Stigmatum

deno-

denominatione ædificandi, in quibus idem feſtum per annos ſingulos religioſe celebratur, maxime vero Romæ, ubi confratres ejuſdem Sodalitatis nedum pie, ſed etiam ſolemni apparatu, & pompa per octo continuos ſubſequentes dies ipſum agunt.

Nec minori pietate, & religione colit Florentina civitas habitum, quo Seraphicus Pater indutus erat, quando paſſionis Chriſti ſignaculis in monte Alvernæ decoratus fuit, quemque ipſemet Vir Sanctus, rogatus, dono dedit Alberto Comiti Montis Acuti, quo in oppido per annos 280. cuſtoditus, mox ab iſtius hæredibus, in bello a Florentinis devictis, ad manus venit Sereniſſimorum Ducum Etruriæ, qui Minoritis Obſervantibus illum tradiderunt, penes quos in Eccleſia S. Salvatoris, vulgo Omnium Sanctorum Florentiæ, pie veneratur. Waddingus ad ann. 1224. num. XXI. agens de S. Franciſco recenter ſtigmatizato, & ab Alvernæ monte ad ſuam dilectam Portiunculam redeunte, hiſtoriam hanc, etiam ab auctore Dialogi ejuſdem ſacri Montis deſcriptam lib. 3. cap. 2., ſic narrat: „ Venit ad Montem Acutum, ubi „ ſumma alacritate exceptus a ſuo amico Co-

„ mite Alberto, ejuſdem loci Domino, ad
„ quem cum jam antea ſæpius diverti ſſet,
„ prædicebat ſe amplius non regreſſurum pro-
„ pter ſuas infirmitates, & mortem vicinam.
„ Dolens hoc audiit Albertus vaticinium,
„ atque ut perpetuæ abſentiæ liniret dolo-
„ rem, petiit obnixe ut aliquid in ſui me-
„ moriam poſſet accipere. Nihil ſibi eſſe
„ quod daret, reſpondit Franciſcus, præter
„ pauperculam, & laceram veſtem, quam,
„ ſi vellet, modo aliud daretur corporis
„ operculum, libenter erogaret. Nihil ma-
„ gis gratum Heroi potuit contingere, quam
„ illum accipere habitum, ſub quo tantus
„ vir pignora noſtræ redemptionis accepit;
„ quare acceríito ſartore, & comparato ſta-
„ tim panno, veſtem viro ſancto efformavit,
„ quam ſequenti die fecit, ut ille pro ſuo ad-
„ mitteret habitu. „

Ad annum vero 1504. num. XXXI. de hoc eodem habitu iterum verba faciens Annaliſta, ſcribit: „ Ab anno 1224. apud hæredes, &
„ poſteros prædicti Comitis ſacra illa veſtis,
„ veluti pretioſus theſaurus, diligenter aſſer-
„ vata eſt uſque ad hunc annum, quo a Ca-
„ ſtro Montis Acuti ad cænobium S. Salvato-

„ ris

„ ris fratrum Obſervantum extra urbem Flo-
„ rentinam translata eſt . . . . At cum ab hac
„ æde Minores tranſmigrarent ad aliam in-
„ tra urbem ſub eodem titulo S. Salvato-
„ ris , eo translatus eſt habitus , & ſub
„ fida cuſtodia conſtitutus , obſerata arca
„ clavibus tribus , quarum primam apud ſe
„ retinent Sereniſſimi Duces Etruriæ , ſecun-
„ dam Conſules artis mercatoriæ , tertiam
„ Guardianus . Ter in anno reſeratur hic
„ pretioſus theſaurus , in die S. Franciſci , &
„ in diebus dedicationis , & conſecrationis
„ Eccleſiæ . „ Omnium igitur Catholicorum pietatem , Eccleſiæ auctoritate fultam , æmulantes , æquo libentique animo erga S. Franciſci Stigmata devotionem profitemur , horumque feſtum devote celebramus . Si ſcioli noſtri ipsum damnant , & interdicunt , quia ecſtaſim , & mentis alienationem parere poteſt , ipſos a recto ſenſu , & ab Eccleſiæ ſententia alienos eſſe cenſemus , ac miramur , ab ipſis illuſis , & a veritate toto cælo aberrantibus , effectum hunc ſuperſtitionem , & mentis illuſionem appellari . Si hæc eorum admittatur aſſertio , omni probatione deſtituta , abſtinendum erit , ut dicebamus , a me-

 dita-

ditationibus nedum rerum ad æternam felicitatem ducentium, ſed etiam naturalium, & philoſophicarum, quorum primum quam impium, alterum quam ineptum ſit, nemo non videt.

CAPUT XI.

Impreſſio Stigmatum in corpore S. Franciſci nec a phantaſia, nec ab alia naturali vi, ſed ſola Dei virtute fieri potuit.

FRanciſci Petrarchæ, & veterum nonnullorum quorumdam opinionem de impreſſione ſacrorum Stigmatum in carne beatiſſimi Patris Franciſci, queis hanc repetere placet vel a phantaſia, jugi meditatione paſſionis Chriſti inflammata, vel ab alia naturali virtute, ſucceſſu temporis renovaſſe Petrum Pomponatium, Adrianum Baillet, Joannem Baptiſtam Thiers, Richardum Simonium, & alios noſtri ſæculi cæcos, & cæcorum duces, in præfatione opportune indicavimus. Verum licet hæc eorum ſententia falſa dignoſcatur ex iis, quæ de natura eorumdem Stigmatum in ſuperioribus dicta ſunt cum teſtibus oculatis, & ſcrip-

& ſcriptoribus coævis, vel quaſi coævis, noſtrum nihilominus hic erit, eam breviter expendere, & pro viribus refutare. Quoniam vero, ut nunc dicebamus, a veteribus quibuſdam hanc acceperunt Critici recentiores, quamquam hi pro more inflati ipſam tamquam novam, & ſuam vendere non erubeſcant, ideo & nos ad veteres prius confugiemus, qui ſibi ſynchronis reſpondentes, hoſque rationibus oppugnantes, modernorum quoque dicteria veluti prævíſa exſufflarunt, ac poſtmodum ad majorem aſſerti noſtri confirmationem, etiam recentiorum aliquot ſcriptorum, Criticos ultimi temporis confutantium, verba, rationeſque exſcribemus. S. Bonaventura, cui certe Stigmatum S. Franciſci natura optime perſpecta fuit, ut liquet ex eorum accuratiſſima deſcriptione, quam in præcedentibus retulimus ex ejus operibus deprom-ptam, in Prologo Legen. Major. ut adhuc aliqua ex ipſo deſumamus, inquit: „ Vidi, „ ait Joannes in Apocalypſi, alterum Ange- „ lum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem „ ſignum Dei vivi. Hunc Dei nuntium, „ amabilem Chriſto, imitabilem nobis, & ad- „ mirabilem mundo, ſervum Dei fuiſſe Fran-

 „ ci-

„ ciſcum, indubitabili fide colligimus, ſi cul-
„ men in eo eximiæ ſanctitatis advertimus,
„ quam inter homines vivens imitator fuit
„ puritatis angelicæ, qua & poſitus eſt perfe-
„ ctis Chriſti ſectatoribus in exemplum....
„ Verum etiam irrefragabili veritatis teſtifica-
„ tione confirmat ſignaculum ſimilitudinis
„ Dei viventis, Chriſti videlicet crucifixi,
„ quod in corpore ipſius fuit impreſſum, non
„ per naturæ virtutem, vel ingenium artis,
„ ſed potius per admirandam virtutem ſpiri-
„ tus Dei vivi. „ In Legend. Min. ſub titulo, *De Stigmatibus ſacris*, poſt varia recenſita miracula, a Deo patrata ad confirmandam realitatem Stigmatum S. Franciſci, ſic lectionem octavam concludit Seraphicus Doctor: „ Ex
„ quo luculenter apparet, quod ſacra illa ſi-
„ gnacula illius fuerunt impreſſa potentia,
„ & prædita ſunt virtute, cujus eſt vulnera
„ infligere, medelas afferre, obſtinatos per-
„ cutere, contritoſque ſanare. „

Ante Seraphicum Doctorem frater Thomas de Celano, qui utpote Sanctiſſimi Patriarchæ diſcipulus, & familiaris, ut alibi adnotavimus, ſacra ejus vulnera inſpexit, ac tetigit, divinitus hæc facta fuiſſe ſcribit, atque

in Sequentia, quæ olim canebatur in Miſſa ejuſdem S. Franciſci, incipitque, *Sanctitatis nova ſigna*, de miris clavis in ejus manibus, pedibuſque defixis, inquit:

Ceſſat artis armatura
In membrorum apertura.
Non impreſſit hos natura,
Non tortura mallei.

Bartholomæus de Piſis Conformit. 3. fruct. 3. cum dixiſſet: „ In manibus ejus, & pedibus „ facti ſunt clavi ſive de nervis, ſive de car- „ ne „ in quo concordat cum aliis, qui de hoc prodigio ſcripſerunt, ita proſequitur: „ Ars vero, ſive natura, etſi vim haberet „ aperiendi, faciendi tamen clavos de ner- „ vis, ſive de carne, ſic duros, obtuſos, & „ recurvos, nullatenus poteſt.... Materia „ enim fluida, etſi natura, ſeu imaginatione „ vehementi mutetur, & alteretur, & animæ „ obediat; tamen ubi materia eſt dura, ima- „ ginationi non obedit, ut dicit Auguſtinus „ 11. de Trinitate. Modo cum materia manu- „ um, & pedum, & præcipue in loco im- „ preſſionis Stigmatum ſit tota nervoſa, & du- „ rior,

„ rior, quam in aliis partibus corporis, non
„ poſſunt virtute naturæ, aut imaginationis
„ in talibus locis Stigmata talia fieri.„

Hæ rationes, ex facto, & philoſophia deſumptæ, quas adhuc expectamus, ut ex veteribus, aut ex recentioribus aliquis extricet, & enervet, cuique ratione utenti ſuadere debent, S. Franciſci Stigmata nulla naturali vi imprimi potuiſſe; adeo namque perſpicuæ ſunt, & invictæ, ut nulla indigeant explicatione, unde ſatis erit eaſdem iterum audire ex S. Bernardino Senenſi Serm. 3. *de Stigmatibus beati Franciſci* art. 2. cap. 2. ubi eos refellens, qui ab imaginatione, ſive a phantaſia hæc impreſſa fuiſſe volunt, ſic ait:
„ Secundum mundi ſapientes res imaginata
„ fortiſſime contingit, quod quandoque eve-
„ nire ſolet. Multum quidem ſequitur cor-
„ pus animam in actionibus ſuis. Propte-
„ rea continua imaginatio paſſionis Chriſti,
„ quæ a principio fuit glorioſi Franciſci, fuit
„ diſpoſitio magna ut ad hanc realitatem ve-
„ niret. Non dico tamen quod talis imagina-
„ tio produxerit hunc effectum, quia talem
„ errorem & ſancta Eccleſia reprobat, & ve-
„ ra ratio confutat, & condemnat. Quia
„ vir-

„ virtute imaginativa quantumcumque forti, „ non fit immutatio ſolidorum nervorum, „ quemadmodum fuit facta in ſacris Stigma- „ tibus Franciſci. Præterea materia fluida etſi „ natura,& imaginatione vehementi mutetur, „ & alteretur, & animæ obediens fiat, tamen „ ubi materia dura eſt, imaginationi non „ paret. Item ſi imaginatio vehemens habe- „ ret Stigmata inſignire, hoc præ omnibus „ aliis in beata Virgine contigiſſet, quæ jux- „ ta crucem de Dominica paſſione præ omni- „ bus aliis doluit, & afflicta fuit. „ Ad hæc cap. 3. ejuſdem Sermonis diſſerens *de duodecim miraculis Stigmatum beati Franciſci*, repetit: „ Quintum eſt, quia in loco „ oſſoſo, & nervoſo, non in molli hæc Stig- „ mata ſunt impreſſa, quod non poteſt ve- „ hementi imaginationi attribui, ſed mira- „ culo Dei. Tandem in Dialogo „ *inter Religionem, & Mundum* ſcribit idem Senenſis.

Stigmatum quinario eſt intus & foris
Foſſus privilegio ſuperni favoris;
Non enim cauterio humani laboris

Fit

Fit hæc transformatio, ſed per vim amoris;
O miranda novitas Stigmatum Franciſci,
Quæ orandi charitas fecit adipiſci.

Ne quis vero cum Criticis hinc deducat, Senenſem repetere S. Franciſci Stigmata ab amoris vi, ut eorum nonnulli volunt, hæc ejus verba deſuper allata firmiter tenenda ſunt: „ Non „ dico tamen, quod talis imaginatio produ„ xerit hunc effectum, quia talem errorem „ & ſancta Eccleſia reprobat, & vera ratio „ confutat, & condemnat. „ In hiſce carminibus ipſe intelligit tantummodo, vim amoris, & charitatem orandi, fuiſſe „ diſpoſitio„ nem magnam „ ut Pater Seraphicus „ ad „ hanc realitatem veniret „ ad Stigmata nempe in ſuo corpore vere & realiter divinitus recipienda, non vero cauſam effectricem Stigmatum eorumdem.

S. Franciſcus Saleſius in Tract. Amor. Dei lib. 6. cap. 15. loquens de vi amoris, quo cor S. Franciſci Seraphici ardebat, ac de Stigmatibus ejuſdem, hæc fideliter a nobis latine reddita ſcribit: „ Amor igitur effecit, ut

„ do-

„ dolores interni S. Franciſci amantiſſimi „ uſque ad partem externam tranſirent, & „ vulneravit corpus eodem doloris jaculo, quo „ vulneraverat cor. Sed amor, qui intus erat, „ plagas exterius in carne procul dubio ef- „ ficere non poterat. Seraphim proinde igni- „ tus in auxilium adveniens, radios emiſit cla- „ ritatis adeo penetrantis, ut hæc realiter ape- „ ruerit in corpore exteriores Crucifixi pla- „ gas, quas amor interius impreſſerat in ani- „ ma. „ Non dubito, quin & ipſi Critici in hanc deſcendiſſent ſententiam, ſi Stigmatum S. Franciſci naturam, a tot tantiſque viris præclariſſimis deſcriptam, vel parumper in philoſophiæ lance appendiſſent, ac animo inveniendi veritatem ſerio libraſſent. At ipſi in propriis oculis ſapientiſſimi, nec auctores de Stigmatibus hiſce tractantes, nec rationes ab iſtis adductas vel inſpicere dignantur, nec illam quidem invictiſſimam jam indicatam, & etiam a Theophilo Raynaudo admiſſam, tom. 13 *de Stigmatiſmo ſacro & prophano* cap. 10. ſcribente „ quod ſi revera S. Franciſcus Stig- „ mata ab imaginatione valida paſſionis Chri- „ ſti habuiſſet, certe Deiparam, & S. Joan- „ nem, ac B. Magdalenam, quibus vulnera

„ Chri-

„ Chriſti a propinquo ſpectare, & valide „ imaginari datum eſt, inſigniri ſimilibus Stig„ matibus oportuiſſet. „ Sed ſi non a phantaſia, nec utique ab alia naturali vi, aut humana arte S. Franciſci Stigmata imprimi potuerunt, ipſamet eorum ſtructura, admiranda prorſus, & inaudita ſuadente, ut hiſtorici omnes recenſiti advertunt, & fatentur. Hinc propterea nec igne, nec ferro facta fuiſſe dicendum eſt, ut aliquando fuerunt Stigmata Gentilium, qui ſuorum Deorum imagines in aliqua corporis parte ſibi efformabant, quoſque proinde Deus Levitici cap. 19. v. 28. Judæis prohibet imitari, dicens: *Neque figuras aliquas, aut Stigmata facietis vobis*. Nec ut illa fuerunt, quæ ipſimet Chriſtiani perſecutionis tempore ſibi candenti ferro imprimebant, ſicque ſignati ad Martyrium properabant, ut refert idem Raynaudus loco mox laudato cap. 7. ubi ait: „ Chriſti nomen per„ multi, vel crucis ſignum in palmis, aut bra„ chiis inuri ſibi curabant. Nimirum ſicut „ olim profani milites ſignabantur in manu, „ aut brachio, ita milites Chriſti meliori di„ cto ſacramento, ſimilibus notis Deo aucto„ rari merito gaudebant. Ex hoc Chriſtiano-

„ rum

„ rum quorumdam uſu, in illis turbinibus
„ ab Ethnicis animadverſo, videtur manaſſe
„ rumor inter Ethnicos ſparſus, quod Chri-
„ ſtiani omnes notam haberent impreſſam,
„ qua ſe invicem agnoſcerent, & ab aliis di-
„ ſcernerent. „

Cum autem Sancius in cap, 44. Iſajæ num. 15. citatus ab eodem Raynaudo exiſtimet, etiam „ in pace Chriſtiana paſſim Chriſtianos ſic ſe inuſſiſſe, impreſſo manibus „ Chriſti nomine „, atque id nunc quoque a multis infimæ plebis hominibus fieri videamus, idcirco neque hoc modo, neque illo, quem impius Bælius in deteſtabili ſuo Dictionario, loco in præfatione indicato, ſomniavit, S. Franciſci Stigmata facta fuiſſe, aut fieri potuiſſe dicimus. Etenim nulla vis, aut ars naturalis, clavos afformare potuit ex nervis, ita diſpoſitos, ut horum capita rotunda, & nigra in interiori parte manuum, & ſuperiori pedum apparerent, & eorum acumina oblonga, retorta, & quaſi repercuſſa exiſterent ex adverſo, itaut de ipſa carne ſurgentia, carnem reliquam excederent, ſicuti cum Divo Bonaventura teſtantur quotquot tam ante, quam poſt ipſum de hoc argumento ſcripſe-

ferunt, teſtes etiam oculati, ſynchroni, & omni exceptione majores. Philoſophia ſua explicet Bælius cum auctore Notæ ad Alcoranum Franciſcanorum ab ſe citato, & nobis dicat, ſi ſapit, quomodo Stigmata a S. Dominico, ut ipſe imponit, veru, aut alio quocumque ferro tumultuarie facta, hujuſmodi eſſe potuerint? „ Siquidem „ ait S. Bonaventura „ ſub pedibus adeo prominens erat, & „ extra protenſa repercuſſio ipſa clavorum, „ ut non ſolum plantas ſolo libere applicari „ non ſineret, verum etiam intra curvatio- „ nem arcualem ipſorum acuminum faciliter „ immitti valeret digitus manus. „ Hæc, inquam, ſua philoſophia Bælius exponat, atque nos doceat, quomodo caſu, & in jurgio fieri potuerint in quinque determinatis corporis partibus, & non in aliis. Explicet, & dicat, quomodo S. Franciſcus talibus affectus vulneribus vitam ad duos annos, & dies producere potuerit, quin vulnera ipſa vel unquam putruerint, vel fætorem emiſerint, ut advertunt omnes de iiſdem ſcribentes. Seraphicus Doctor naturam Stigmatum Seraphici Patris talem fuiſſe ſcribit, qualem nunc intelleximus, novam ſcilicet, inauditam, ac

pror-

prorſus mirabilem, & narrationem ſuam, licet quamplurium teſtimonio comprobatam, ſic concludit: „ Sicut ab eis ipſe accepi, qui „ propriis oculis conſpexerunt, „ Et Bælius quot auctores, vel teſtes ſuæ irriſionis in medium profert? Nullum omnino, niſi auctorem ſcilicet prædictæ Notæ, de quo ipſemet conqueritur, quod gratis omnino rem venditet, abſque probatione ulla, vel auctoritate ipſam confirmante. Sed ubi ſunt Criticorum regulæ, & ad quid Critici ipſi rigidiores, quorum unus Bælius habetur, eas ad facti alicujus veritatem dignoſcendam conſtituerunt? Quænam regula tradit, ut factum admittatur, & publicetur ut verum, quod nulla ratione fulcitur, nullaque auctoritate probatur? Nos hanc regulam ſequimur, ut quod validis probationibus munitur, admittamus, quod vero gratis aſſeritur, gratis, & abſolute denegemus.

Quin vero plura addamus in coſutationem ſceleſtiſſimi, ac nullius religionis viri, cujus proinde irriſio in S. Franciſci honorem, & laudem cedit quam maximam, ſermonem noſtrum ad alios convertimus intemperantes Criticos, qui S. Franciſci Stigmata repetunt

phantaſia, hoſque rogamus, ut ſimul omnes ea nobis ediſſerant, quæ a Bælio audire expectamus. Præcipue a Joanne Baptiſtà Thiers deſideramus, ut nobis exponat, quæ habet in fine capitis 3. ſuæ diſſertationis contra P. le Franc: „ Clavi S. Franciſci non fue„ runt, niſi clavi ſancti amoris, quibus „ uniebatur Chriſto, & lancea non fuit, niſi „ flamma quædam divinæ charitatis, quæ „ ipſum adurebat. „ Verba ſunt hæc atramento quidem reddita, ſed omni veriſimilitudine vacua, quia contra rationem ipſam, & contra auctoritatem ſcriptorum omnium, qui de S. Franciſci Stigmatibus loquuti ſunt, audacter prolata, ut ex dictis patet, & ex iis, quæ dici poſſent, magis magiſque pateret, ſi animus hic eſſet, calamum acuere contra viros, quorum delitia cauſæ noſtræ apud probos nedum non obſtant, ſed plurimum proſunt. Etenim quid nobis officere poteſt Petrus Pomponatius, a quo, ut notavimus in præfatione, ipſe Thiers, ac recentiores Critici omnes errorem hujuſmodi mutuati ſunt? Atheus iſte in lib. *de Incantationibus*, in quo ſuam de S. Franciſci Stigmatibus aperit ſententiam, teſte Antonio Mirandulano *de ſingulari certa.*

tamine lib. 6 tribuit cælorum influxibus omnes effectus mirabiles, & ab iſtis dependere vult religiones, leges, & legislatores; agens vero de ſanationibus, quæ ad Reliquiarum tactum contingunt, eas irridet, ac male ſentit etiam de Animæ immortalitate, quidquid in Apologia pro ſibi ſimili fruſtra tentet Baylius in Dictionario Verb. *Pomponace*. Quod præjudicium S. Franciſci Stigmatibus hujus fidei vir afferre poteſt, aut Adrianus Bailletus, qui in ſuo opere *de devotione erga beatam Virginem*, Romæ damnato 1695. totus eſt, ut cultum ipſius Virginis vel minuat, vel tollat, ſicuti in alio, *Vitæ Sanctorum*, dubitationem potius, quam ædificationem, ſuſcitat in legentibus, adulator perpetuus ſcriptorum Proteſtantium, quorum opera ſine mente exſcribit, & laudat, ut de eo narrat auctor Dictionarii auctorum Eccleſiaſticorum Verb. *Baillet*. Quid, ajebam, nobis obeſſe poteſt vir iſte, quem non pudet aſſerere, S. Bonaventuram varium eſſe in Stigmatum relatione, quod falſum quam ſit alibi demonſtravimus, ubi etiam innuimus, ipſum infidelem eſſe in traductione verborum Seraphici Doctoris, quod ex collatione hujus traductio-

nis cum genuinis S. Bonaventuræ textibus liquido apparet? Opinionem illorum ipſe inſinuare conatur, qui putant, myſticum, & ſpirituale fuiſſe quod in ſtigmatizatione S. Franciſci eveniſſe ſcimus. Sed philoſophice & ipſe explicet, quæ de Stigmatibus hiſce ſcriptores plurimi enarrant, atque aſſertionem ſuam, vel cujuſcumque ſit, conciliet, ſi poteſt, cum iſtorum dictis, ac præcipue cum ipſius Seraphici Doctoris verbis.

Quid tandem noſtræ cauſæ obeſſe poteſt Ludovicus Dupinus, dum in Dictionario hiſtorico edito ann. 1712. ſub ejus directione, S. Franciſci Stigmata veluti dubia recenſet? Nil certe nobis timendum eſt à Dupino, a viro nempe in omnibus ſuis ſcriptis hæreticorum fautore, Socinianiſmi ſuſpecto, Eccleſiæ Catholicæ inimico, & a Proteſtantibus hac de cauſa ſummis laudibus celebrato: In ſua namque Bibliotheca, ſolemniter proſcripta, varia infirmat Catholica dogmata ab ipſis Proteſtantibus rejecta, teſte Boſſueto cum aliis, qui contra ipſum calamum acuerunt, ac proinde bis coactus ad publicam plurium propoſitionum retractationem, tandemque ut infamis, & calumnioſi libelli approbator, & hæ-

hæreſis Janſenianæ protector, in exilium pulſus cum ſociis a Galliarum Rege Ludovico XIV., cui propterea Summus Pontifex Clemens XI. ſic in litteris aperit ſui animi ſenſus: „ Non ſine maximo animi gaudio percepimus „ regium Majetatis tuæ zelum, noſtris nuper „ paternis vocibus excitatum, cæpiſſe in præ- „ cipuos deterrimi libelli approbatores condi- „ gnis pænis animadvertere, Ludovicum „ Du Pin, nequioris doctrinæ hominem, „ temeratæque pluries Apoſtolicæ Sedis di- „ gnitatis reum exulare jubendo. „ Quidquid igitur hi cum aliis ejuſdem indolis, & farinæ garriant, noſtra parum, aut nihil intereſſe debet, qui juxta regulas ab ipſis Criticis excogitatas auctores audimus, & ſequimur, probitate, & integritate præditos, teſtes coævos, & oculatos, è quorum parte eſt Eccleſia, non homines in rebus ad religionem pertinentibus audaces, & intemperantes, proprio genio unice innixos, & quatuor, vel quinque ſæculis a S. Franciſco diſtantes. Eccleſiæ obtemperamus, ſupremiſque ejus Paſtoribus, quorum unus vere maximus, Benedictus XIV, de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 1. cap. 33. num. 19. rationibus ex vete-

ribus acceptis, & a nobis jam productis, Petrarchæ, Pomponatii, & aliorum opinionem refellit; realitatemque Stigmatum S. Franciſci egregie confirmat, dum hæc a phantaſia, vel ab alia quacumque naturali cauſa haud repeti poſſe demonſtrat.

„ Id tamquam erroneum „ ita ipſe „ fu-
„ ſe convincitur a Fortunio Liceto de quarto
„ quæſitis per Epiſtolam cap. 29., & a Theo-
„ philo Raynaudo de Stigmatiſmo ſacro &
„ profano tom. 13. pag. 126. Bartholomæ-
„ us de Piſis Ordinis Minorum anno 1385.
„ aureum librum conſcripſit de Conformitate
„ vitæ beati Franciſci ad vitam Domini noſtri
„ Jeſu Chriſti, & in prologo 2. cap. 3. hæc
„ habet: Quod hujuſmodi prodigium, vide-
„ licet impreſſio ſacrorum Stigmatum, divina
„ ſolum potentia ſit peractum, non natura,
„ nec arte, ſeu quavis alia forte imaginatio-
„ ne &c. patet ſi forma Stigmatum in mani-
„ bus, & pedibus Sancti facta cogitetur: nam
„ in manibus, & pedibus ejus ſunt facti clavi
„ ſive de nervis, ſive de carne, qui quidem
„ clavi deſuper erant quoad capita ſolidi,
„ groſſi, & obtuſi, erant longi, & extra ma-
„ nus, & pedes protendebantur, & recur-

„ va-

„ vabantur, intra quorum recurvationem arcualem digitus manus immitti valebat, ſicut dicit Dominus frater Bonaventura, Epiſcopus Albanenſis, S.R.E. Card. in 3. part. Legend. Maj. ſe habuiſſe ab illis, qui hoc viderunt, & palparunt, & ſic eſſe juramento firmaverunt. Modo dato quod natura, vel imaginatio haberet vim aperiendi carnem, facere tamen clavos de nervis, ſive de carne ſic duros, & tali forma diſpoſitos, adjuncta arte quacumque, nullatenus poſſet. Patet etiam hoc idem ſi conſideretur materia, de qua tales clavi ſunt facti &c. Cum materia pedum, & manuum, & præcipue in loco, ubi fuerunt Stigmata impreſſa, ſit tota nervoſa, & durior, quam in aliis partibus corporis &c. Similiter de vulnere laterali in tali forma, & loco tali præfatis de cauſis fieri non potuit vi naturæ, nec imaginationis, nec virtute naturæ tanto tempore imputribile potuiſſet conſervari, ſicut fuit in ipſo Patre, quia per biennium &c. Vehemens imaginatio paſſionis Jeſu ſi haberet Stigmata naturaliter imprimere, hoc præ omnibus in beata fuiſſet Maria Matre ipſius Domini Redemptoris, & in ejus

„ corpore, quæ præ cunctis Chriſtum amavit, & de ejus paſſione condoluit. „ Hactenus Benedictus XIV. cujus proinde, & aliorum auctoritas, rationibus innixa firmiſſimis, non Criticorum nuda prorſus, & inanis aſſertio, nos movet, & quodammodo impellit ad realitatem Stigmatum S. Franciſci agnoſcendam, & affirmandam: Hæc in cauſa eſt, ut cum prælaudato Raynaudo „ extra omne dubium ſtatuamus, Stigmata S. Franciſci fuiſſe opus Dei ſupra naturam „ & quidem ipſiuſmet Redemptoris manu peractum, ut ſcriptores innumeri fatentur, Pontifices quamplurimi in reſpectivis diplomatibus confirmant, & Eccleſia ipſa univerſalis ubique in officio & Miſſa eorumdem Stigmatum ſolemniter canit.

CA-

CAPUT XII.

Ex quo S. Franciſcus vera & reali Stigmatum impreſſione inſignitus dicatur, non ideo Chriſto Domino æquiparatur, in ſenſu a Proteſtantibus, & Criticis nonnullis confićto.

OPportune dictum eſt in præfatione, Novatores & ore, & calamo vendere, S. Franciſcum, quem placet ipſis idolum Stigmatizatum appellare, ita a Minoritis Chriſto crucifixo æquiparari, *ut ipſum habeant loco iſtius*. Primus, qui hæc ſomniaverit, & in vulgus ediderit, ad fucum ſimplicibus faciendum, & odium in Franciſcanos excitandum, fuit ipſe anteſignanus Lutherus loco in eadem præfatione citato, ubi etiam vidimus, hæreticis adhærere Joannem Baptiſtam Thiers, & collectorem quorumdam opuſculorum tom. 9. in Notis ad ipſius Thierii diſſertationem. Hanc ſolemniſſimam impoſturam vel ab ignorantia, vel a malitia, ſive potius a malignitate, & odio repetendam eſſe, Catholicorum nul-

nullus negabit. Hæretici eam excogitarunt ad invidiam in Romanam Eccleſiam inter ſuos augendam, ſimulque evulgarunt ad expuendam bilem, qua eorum in Minoritas male affectus animus intime fervet. Quis enim, niſi malignus, & livore tabeſcens, calumniam hujuſmodi creare, vel amplecti poterat? Et ſane, ubinam id tradidere Minores, aut in quo libro, vel ſcripto hæretici prius, critici deinde, horum imitatores, legerunt, S. Franciſcum a ſuis filiis Chriſto Salvatori ita æquiparari „ ut ipſum collocent longe ſupra Chriſtum, ut verum Meſſiam, Mediatorem, „ Advocatum, & Patronum invocent, & „ vitam æternam ab ipſo petant „ uti delirando ſcripſiſſe Lutherum, atque hinc repetiviſſe gregales, in laudata præfatione adnotavimus? A Minorum certe nullo horrenda hæc, & inaudita blaſphemia ſcripta uſpiam reperitur, ſed a Novatoribus, ut dicebam, conficta fuit in odium Romanæ Eccleſiæ, ut hanc nimirum ob id quoque damnabilem edicant, quia nempe talia approbat, & Franciſcanis de Inſtitutore ſuo credere, & prædicare permittit. Sed quis maligna hæc a ſpiritu mendacii inventa, ac prolata eſſe non videt? Si Minorum aliquis ita

ita de S. Franciſco ſenſiſſet aliquando, ac populis inſinuare auſus eſſet, Eccleſia procul dubio, de fidei puritate ſumme ſollicita, errorem hunc tamquam hæreſim deteſtabilem proſcripſiſſet, ipſumque aſſertorem pertinacem ut hæreticum, & impium damnaſſet, ſicuti damnavit Lutherum, & alios dogmatizantes, & ab ejus fide recedentes.

Cum igitur id ab Eccleſia numquam factum legatur, hac ſola ratione ſatis viro Catholico probatum eſſe debet, æqualitatem prædictam in ſenſu a Novatoribus, & modernis ſciolis intellecto, impoſturam eſſe putidiſſimam. Ab eadem namque Eccleſia matre didicimus, honorem Sanctorum judicium diligere, nec nos latet quos canones ipſa ediderit ad honorem ipſum ab erroribus præſervandum, quibus vel a mendaci ſtudio, vel ab ignorantia, vel etiam a pietate nimia, & zelo non ſecundum ſcientiam conceptis, labefactari poteſt. Hos canones nec ipſi ignorant hæretici, qui propterea fateri coguntur, quod ſi Eccleſia Catholica eorum omnes anathematizavit magiſtros, & errores, hunc quoque damnaſſet, quem ipſi fingunt de S. Franciſco habito pro Meſſia, & loco Criſti obtruſo, ut po-

pote uni ex articulis fundamentalibus, ut, ipſorummet verbis utar, immediate oppoſitum, ut nemo non videt. Sed non eſt nobis amplius in hiſce laborandum, cum ipſimet Proteſtantes agnoſcant, & fateantur, Eccleſiam Romanam, licet ab ipſis tot conviciis affectam, in fundamentalibus numquam defeciſſe, quod falſum eſſet, ſi prædictum errorem in Franciſcanis vel tantummodo toleraſſet. Ipſimet hæretici negare non poſſunt, ſi rationem, non paſſionem, audire velint, quæ ab eorum doctoribus in ipſo rebellionis furore de S. Franciſco divulgata fuerunt, falſa eſſe, & inventiones malignas, unde ab eis ad Thierium, & alios Criticos gradum facimus. Contendunt hi cum hæreticis, a Minoritis proprium parentem æquiparari Chriſto, quia Stigmatibus iſtius inſignitus exprimitur, & cum eo dicitur crucifixus. At quam logicam didicere eruditi noſtri? Minoritæ S. Franciſcum Chriſti vulneribus ornatum, & crucifixum dicunt: ergo eum obtrudunt loco Chriſti, ut ſomniavit Lutherus, alium Chriſtum ipſum eſſe putant, ut deliravit Scaliger, eumdem invocant ut Meſiam, Mediatorem, & Advocatum, & vitam æter-

æternam ab eo petunt, ut inſaniendo repetit cum Luthero editor Alcorani Franciſcanorum? Cur ita philoſophentur etherodoxi, ratio in præfatione, & alibi adducta fuit; ſed cur eos in hoc imitentur Catholicorum aliqui; nullatenus intelligi poteſt, niſi aut ignorantia ſumma, aut malignitas maxima ſupponatur in eis. Maligni namque eſt animi, rem malo in ſenſu accipere, quæ in bono commode accipi poteſt; imo inſolentia eſt apertiſſima ſenſum naturalem, & obvium, quem tenent omnes, deſerere, & alium reddere novum, inauditum, a rei veritate, & communi intelligentia alienum; ut in re noſtra faciunt recentiores, & quidem animo lædendi, & calumniandi.

Quem Catholicorum præterit, S. Franciſcum ideo crucifixum dici, quia Stigmatibus notatus apparuit, quibus in ligno crucis Chriſtus affectus fuit, quod idem eſt ac dicere, Seraphicum Patrem ob hæc vulnera eſſe externam quamdam imaginem, & ſimilitudinem Chriſti crucifixi, quam placuit ipſi Redemptori per ſuorum vulnerum impreſſionem in eo exprimere; ut hac renovatione in carne beatiſſimi Franciſci, corda noſtra ſui amo-

ris

ris igne inflammarentur? Negabunt Critici hujus impreſſionis veritatem? Sed hanc jam ſatis ſuperque juxta eorum regulas probatam eſſe putamus, ideoque ſi vere, & realiter S. Franciſcus Chriſti Stigmatibus impreſſus fuit, veram ipſe Chriſti vulnerati imaginem detulit in ſuo corpore, atque ei per conſequens ſimilis dici poteſt, ac debet. Hanc ſimilitudinem, reponent ipſi, denegamus, quia id eſt, non in hæreticorum, ſed in noſtro ſenſu, ſervum cum Domino, Franciſcum cum Chriſto æquiparare; Papæ, quanta fidei, & conſcientiæ puritas in reformatoribus noſtris! At ſi Chriſtus vulnera ſua vere & realiter S. Franciſco impreſſit, & vera hac impreſſione ipſum ſibi ſimilem extrinſece reddidit, nil reſtat aliud, quam aut veritatem talis impreſſionis denegare, aut hanc ſimilitudinem admittere. Primum fieri nequit uſque dum extabunt, & vim habebunt Criticorum regulæ: ergo S. Franciſcus Chriſto crucifixo ſimilis dicendus eſt, quia hæc ſimilitudo ſequitur factum, ac tamdiu vera erit, quandiu ſtabit factum ipſum tot rationibus probatum, atque ſuffultum. Repugnat; addunt ipſi delicatuli, & ſcrupuloſi, ac indecens videtur hæc ſimilitudo S.

Fran-

Franciſci cum Chriſto. ſubditum nempe, & Caput, ſervum, & Dominum iiſdem inſignibus, & characteribus exornare. Reponimus, quod ſi Chriſtus Stigmata ſua Franciſco impreſſit, & hunc idcirco ſibi ſimilem reddere voluit, ſimilitudo iſthæc nec indecens, nec repugnans cenſeri debet, quia facta a Chriſto, qui horum neutrum efficere poteſt. Tota indecentia hæc, & repugnantia in ſolo opponentium cerebro defixa eſt, quia ſi nec indecens, nec repugnans fuit creare hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, non video cur dedecere, ac repugnare debeat hominem reddere Chriſto crucifixo ſignis exterioribus conformem. Imo ſi ipſum Verbum Patris indignum non exiſtimavit formam ſervi accipere, ac ſubſtantialiter fieri in ſimilitudinem hominum, cur indecens putabimus, quod Chriſtus in ſervo ſuo Franciſco Stigmata ſuæ paſſionis renovaret, ſicque extrinſecis hiſce ſignaculis eum ſibi crucifixo ſimilem efficeret? Ergo ne S. Franciſcus, quia ratione Stigmatum Chriſto ſimilis, erit alter Chriſtus, ut maligne inferunt hæretici, & cum iſtis moderni doctores eorum aſſeclæ, & diſcipuli? Nequaquam.

Ari-

Ariſtoteles lib. 2. de art. rethor. ea vocat „ ſimilia, quæ ſibi viciſſim proportione quadam reſpondent, etiamſi contraria eſſe „ videantur. „ Proportio, quæ S. Franciſcum Chriſto crucifixo ſimilem reddit, eſt nuda, & ſimplex stigmatizatio, quæ cum ſit vera, & realis, vera quoque, & realis ratione iſtius proportionis debet eſſe ſimilitudo, quin indecens aliquid, aut repugnans in ea appareat. Nam ſi imago, quæ hic pro ſimilitudine accipitur, eſt exemplar, & repræſentatio rei, quid repugnat, vel implicat, quod S. Franciſcus imago ſit Chriſti crucifixi, quatenus hunc extrinſece per ſua Stigmata repræſentat? S. Bonaventura in Leg. Min. poſt narratam Stigmatum impreſſionem, hæc de Seraphico Viro addit: „ Deſcendit de monte „ ſecum ferens Crucifixi effigiem, non in ta„ bulis lapideis, vel ligneis, manu figuratam „ artificis, ſed in carneis membris deſcriptam „ digito Dei vivi. „ Criticorum ſcrupulus idem eſſe videtur, ac ille Hiſpanorum, & Januenſium quorumdam, qui S. Franciſcum cum ſignis redemptionis noſtræ in imaginibus vel a pictoribus, vel ab aliis exprimi prohibebant, contra quos, ut alibi indigitavimus,

Ale-

Alexander IV. litteras dedit, *Quia longum eſſet*. Idem ferme eſſe videtur ac ille Friderici Epiſcopi Olomucenſis, *Sanctorum gloriæ detractoris*, ut ex Auguſtino Moravo in ſerie Epiſcoporum Moraviæ, & ex hiſtoria Bohemiæ Dubravii, de ipſo refert Laurentius Beyerlinck in theatro vitæ humanæ tom. 3. Verb. *Epiſcopus*. Hic enim, teſte Gregorio IX. in ſuo Brevi, *Uſque ad terminos*, exiſtimabat, vulnera ſolius Chriſti pro ſalute noſtra crucifixi adoranda eſſe, ac proinde inferebat, nec S. Franciſcum, nec Sanctorum alium cum Stigmatibus pingendum fore „ quod ſit inde-„ cens in ſubditis, ut plantata ſibi prætendat „ inſignia Capitis . „ Hunc ſcrupulum ſolvit Pontifex in iiſdem litteris, ubi cum eodem Antiſtite ſimul recentiores confutat, & doctrinam noſtram ſic indubiam reddit: „ Reſpon-„ demus, videlicet, quod Dei ſapientia, „ quæ de limo terræ ſimilem ſibi formans ho-„ minem, ſimilis illi fieri per Incarnationis „ myſterium, ut ipſum a morte redimeret, „ non contempſit, dilectum ſibi beatum Fran-„ ciſcum ſuorum ſpecie Stigmatum decora-„ vit. Quæ temeritas? quod peccatum? ſi „ tam ſingulare privilegium ad indulgentis

N „ glo-

„ gloriam picturæ teſtificatione pateat oculis „ devotorum? Nonne, ut ſileamus de aliis, „ Princeps Apoſtolorum eximius, licet po„ ſitione diſſimili, quandoque pingitur cru„ cifixus? Sed dicis intrepidus alia, dum pa„ ctum reformat ratio, quia cum præteriri „ nequiverit, quod de cruce Petri veritas „ indicaverat, neque improprie ſuſpenſus in „ cruce dicitur, neque incongrue tali dam„ natus ſupplicio figuratur; ſed de Franci„ ſci cruce, vel Stigmatibus, quod veritatis „ indicium? quod probabile argumentum? „ De cruce ſiquidem nota ſæculis vita ipſius „ reſpondeat, quod poſtquam Religionis aſ„ ſumpſit habitum, vacando virtutibus, con„ tinuum carnis ſubiit cruciatum: De Stigma„ tibus vero plures fide digniſſimi, quos mi„ raculi tanti conſcios divinæ placuit reddere „ pietati, teſtimonium veritati perhibeat &c.„ Ex quo igitur S. Franciſcus vere in ſuo corpore Stigmata Chriſti portaverit, hiſce exornatum, ac ipſius Chriſti imaginem referentem depingi poſſe Gregorius IX. argumentatur, & concludit.

Damus hæc ultero citroque, reponunt doctores noſtri, & cum Thierio in diſſertatione

ne contra Patrem le Franc ſuper inſcriptione, *Deo Homini*, *&* *B. Franciſco*, *Utrique crucifixo*, negant, hunc ſecundum, licet Chriſti vulneribus obſignatum, crucifixum dici poſſe, & ſi talis dicatur, quod ipſi Chriſto indecenter æquiparetur, alte proclamant. Recens collector opuſculorum jam laudatorum, vir utique in dignoſcendis naſu auctorum libris, olfactus vere acutiſſimi, ac prorſus ſingularis, diſſertationem hanc ex gallico idiomate in italicum verti, & notis illuſtratam tom. 9. ſuæ collectionis edi curavit. In harum una collector ipſe vocat Thierium „ virum „ Eccleſiaſticum, doctum, veræ, ac ſolidæ „ pietatis zelatorem, & ſuperſtitionis implacabilem inimicum „ & recte quidem, quia hanc ubique crepat in ſuis libris, quos *de Superſtitionibus* ideo inſcribere voluit, atque tam acriter in hiſce eam inſectatur, ut ſuperſtitionem inveniat etiam ubi non eſt. Hunc diſſertatorem, quamquam ob ſuas ſupeſtitiones coactum varias mutare domos, & fortunas, laudat collector, ac proteſtatur, ſe diſſertationem Eccleſiaſtici tam pii ideo traduci, & denuo typis dari curaſſe, ne opus tam dignum omnino periret. Opus, quod, ipſo fatente,

 an-

anno 1740. Hagæ Comitis tertio editum fuit a viro Proteſtante, ut occaſionem hinc nanciſceretur ſugillandi doctrinam Concilii Tridentini de Imaginum veneratione, & Orationes ab Eccleſia præſcriptas pro Templorum, & Altarium conſecratione. O pietas nova, collectoris laude digna, quia ſimillima ſuæ! Libellus, qui cauſam exhibet carpendi Eccleſiæ dogmata, & cæremonias, eſt opus dignum viro Eccleſiaſtico, veræ pietatis zelatore? Videat interim collector quænam ſit in ſeipſo pietas, qua impulſus fuit ad libellum hujuſmodi italice reddendum, ac iterum evulgandum, noſque unde digreſſi ſumus, revertamur.

Verus, & naturalis ſenſus inſcriptionis, contra quam Thierius invehitur, Catholicorum cuique obvius eſt, & apertus, & nonniſi ab invido, vel ignaro poterat accipi diverſimode, ac ab auctore fuerat intellectus, ut huic, ejuſque conſodalibus odium populi maligne conciliaret. Si enim verba, ut fert adagium, intelligenda ſunt juxta mentem proferentis, vel ſcribentis, ſola malignitas, vel ignorantia ſenſum a mente auctoris, & a Catholica veritate alienum in illa inſcriptione poterat invenire. Hæc namque ut indecens, & Chri-

& Chriſto injurioſa dicenda non erat, niſi cum Proteſtantibus Thierius exiſtimaſſet, Minoritas habere S. Franciſcum loco Chriſti, huic illum æqualem, & omnino ſimilem credere, ac talem in ipſa inſcriptione eum exprimere voluiſſe. Sed quo fundamento tantam impietatem in Minoritis vel ſuſpicari poterat vir pius, & ſolidæ pietatis propugnator? In quo eorum libro hanc hæreſim ab eis aſſertam legit vir Eccleſiaſticus, & doctus? In nullo ſane, ſed ab hæreticis, in quorum libris ejus pietas delectabatur, hanc atrocem calumniam accepit, & pie adoptavit, ac vendidit. Joannes Baptiſta Thiers, reponit pro ipſo novus editor diſſertationis, in hac id unum propugnat, inſcriptionem P. le Franc eſſe indecentem, & damnabilem, quia S. Franciſcus æque ac Salvator noſter in ea dicitur crucifixus, quod eſt omnino falſum, cum ille, ſicut iſte, cruci ligneæ, ſive materiali, affixus nequaquam fuerit. Ita profecto non minus pie, quam acute Thierius. At quiſnam ei dixit, id in eo lapide exprimere voluiſſe inſcriptionis auctorem, itaut ſenſus ſit, S. Franciſcum in ligno clavis fuiſſe confixum, & ſuſpenſum eodem modo, quo Chriſtus pro nobis in eo pependit?

dit? Cum hoc pariter a nemine unquam contra hiſtoriæ veritatem fuerit prolatum, non video cur Thierius ſenſum hujuſmodi in illa inſcriptione legere potuerit. Reſpondet collector, id aperte colligi ex lectione ejuſdem inſcriptionis, in qua cum clare, iiſdem verbis, & conjunctim Chriſtus, & S. Franciſcus dicantur crucifixi, quilibet intelligit, crucifixionem ſecundi cum illa primi æquiparari, quod eſt omnino falſum, quia Chriſtus veræ, & materiali cruci affixus fuit, minime vero S. Franciſcus. Vult igitur ſuperſtitionis implacabilis hoſtis, S. Franciſcum in illa inſcriptione male crucifixum dici, quia in cruce lignea appenſus non fuit, nec ferreis clavis confoſſus ex iſta pependit. Ita ipſe, uti conſtat ex tota ejus diſſertatione, in qua centies, & ad nauſeam uſque repetit, S. Franciſci crucem non fuiſſe, ſicut fuit illa Salvatoris.

O myſterium uni Thierio nunc primo revelatum! Et quis Catholicorum unquam ignoravit, Seraphicum Patrem in cruce lignea non pependiſſe, ac ideo tantum crucifixum dici, quia crucis mortificationem jugiter, ac tandem Stigmata Domini Jeſu in corpore ſuo portavit? Nullus certe, nec ipſæ mulierculæ,

quas

quas proinde ſi Thierius interrogaſſet, hæ quoque facillime ei dixiſſent, quo ſenſu S. Franciſcus tum in prædicta inſcriptione, cum alibi dicatur crucifixus. Ad quid ergo ſuperſtitionem in illa timuit vir nimis juſtus, in qua nec ipſæ femellæ æquivocare poſſunt, & ad quid ſenſum a ſe uno intellectum, & non illum, quem omnes tenent, Patrem le Franc in ea reddere voluiſſe deprædicat? Non alia certe de cauſa, niſi quia malignus, & inquietus. Thierii zelus, replicat collector, exarſit veritatis amore, quia ſi S. Franciſcus materiali cruci non fuit affixus, crucifixus dici nequit, & hoc eſt, quod vir doctus, & pius contendit contra Patrem le Franc. Optime quidem, ut liquet ex ipſa diſſertatione, quæ inter verba quamplurima hanc unicam exhibet rationem, millieſque repetit: „ S. Fran„ ciſcus dici non poteſt crucifixus, quia cla„ vis in cruce lignea confixus non fuit, „ Verum ſi ita eſt, ut ipſe ſcribit, & docet, cur S. Paulus, qui pariter non pependit in ligno, ad Galat. 2. v. 19. ſe dicit cruci confixum: *Chriſto confixus ſum cruci*? Imo cur ipſemet Chriſtus Matth. 16. prædicat: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat*

crucem ſuam? Si Thierius non aliam crucem agnovit, quam ligneam, & materialem, & nonniſi huic homines configi poſſe putavit, peregrinus utique fuit in doctrina Chriſti, nilque penitus vir piiſſimus didicit in ſchola iſtius, in qua edocemur, crucem nobis neceſſariam eſſe, ideſt hujus vitæ tribulationes, vitiorumque noſtrorum mortificationem. Hæc à Chriſto, & ab univerſis Chriſtianis doctoribus crux dicitur, & crucifixio, & qui ipſam diligit, & amplectitur, crucifixus vocatur ab Apoſtolo ad Roman. 6. v. 6. ſcribente: *Vetus homo noſter crucifixus eſt*; & ad Galat. 5. v. 24. *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*. Hæc eſt illa crux, cui Paulus dicit Chriſto ſe fuiſſe confixum, & ob quam Chriſtianus quilibet ſimiliter crucifixus, eidem Chriſto redditur conformis, ut Patres, & expoſitores docent, quorum Cornelius a Lapide illud Apoſtoli ad Roman. 8. v. 29. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui*, ſic declarat: „ Per crucem conformamur Filio „ Dei, & Chriſto crucifixo, quæ ingens eſt „ dignitas, & utilitas. Sicut enim hic con- „ formamur Chriſto in tribulatione, ita con-

„ for-

„ formabimur eidem in beatitudine. „ Non igitur ii tantum, qui pendent in ligno, ſed etiam illi omnes, qui mortificationem Jeſu in corpore ſuo circumferunt, crucifixi dicuntur, & Chriſto conformes, ac proinde cum S. Franciſcus bujuſmodi crucem jugiter portaverit, abſque ſuperſtitione Chriſto ſimilis, & crucifixus dici poteſt, ſicuti hac de cauſa talis dicitur a Gregorio IX. in litteris deſuper exſcriptis, in quibus ad Epiſcopum Olomucenſem de cruce Sancti Viri quærentem, ait: „ De cruce ſiquidem nota ſæculis vita ipſius „ reſpondeat.„

Si vero crucifixus dici poteſt ob jugem ſui mortificationem, eo magis talis dicendus erit, uti revera dicitur a plurimis, ratione Stigmatum Redemptoris, quæ in carne ſua divinitus impreſſa per biennium, & amplius geſtavit. Frater Elias in epiſtola alibi laudata „ Non diu „ inquit „ ante mortem Frater, „ & Pater noſter apparuit crucifixus. „ S. Bonaventura in Legend. Min. lect. 1. *de Tranſitu mortis*, ait: „ Chriſto igitur jam cruci „ Vir Dei confixus tam carne, quam ſpiri- „ tu. „ Alexander IV. in diplomate, *Romani eſt*, ſcribit: „ In hoc Franciſcus ab ipſo „ Chri-

„ Chriſto, licet dolenter, dulciter, & aman„ ter crucifixus apparuit „ ideſt in monte Alvernæ, de quo ibi loquitur Pontifex, qui in alio, *Benigna operatio*, de S. Franciſci Stigmatibus hæc habet: „ Ex his ſincera fides „ Chriſti accipit, quod etiam illi poſſint eſſe „ paſſionis Chriſti ſine extrinſeco perſecuto„ re conſortes, qui pro ejus amore carnem „ ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis volun„ tarie crucifigunt. „ Tandem & alii Pontifices, & ſcriptores quamplurimi S. Franciſcum, quia Chriſti vulneribus inſignitum, crucifixum dicunt, & Eccleſia ipſa in Miſſa Stigmatum ei accomodat illud Apoſtoli mox recitatum, *Chriſto confixus ſum cruci*, & in hymno Veſperarum de eo canit:

Collaudetur Crucifixus,
Tollens mundi ſcelera,
Quem laudat Concrucifixus,
Crucis ferens vulnera,
Franciſcus prorſus innixus
Super mundi fœdera.

Sed quin plura addamus, ipſemet Thierius nobiſcum ultimo convenit, ac fatetur,

quod

quod ſi S. Franciſcus vera, & reali Stigmatum impreſſione ornatus fuit, crucifixus dici poſſit. Hanc veritatem tam clare cognovit vir doctus, & pius, ut cum alibi propoſuiſſet abſolute evincere, S. Franciſcum dici non poſſe crucifixum, mox advertens opinioni huic ſuæ obſtare Stigmatum realitatem, melius duxit hanc denegare, atque hinc proferre, Stigmata hæc myſtica tantum fuiſſe, & metaphorica. Quare cap. 3. ſuæ diſſertationis piiſſime ſcribit: „ Clavi S. Franciſci non fue„ runt, niſi clavi Sancti amoris &c. „ Comparationem vero inſtituens inter crucifixionem, & vulnera Chriſti, ac S. Franciſci, concludit: „ Quænam ſimilitudo, ſive æqua„ litas poteſt eſſe inter rem veram, & figu„ ratam, inter ſupplicium reale, & imagi„ narium, inter dolorem myſticum, & dolo„ rem verum? Crucifigi apparenter, in figura, „ ecſtatice, & myſtice, nec eſt, nec dici „ poteſt crucifigi; & ideo cum S. Franciſcus „ non aliter fuerit crucifixus, nullo modo „ fuiſſe crucifixum dicendum eſt. „ Circa finem inſuper addit: „ Jeſu Criſt a été effe„ ſtivament attaché à una Croix: Saint Fran„ çois ne l' a point été. Jeſus Chriſt a été „ réel-

„ réellement, e veritablement crucifié: Saint François ne l' a été tout ovu plus qu' en apparence.„ Sed ſi ex rationibus, & teſtibus omni exceptione majoribus, allatis in ſuperioribus capitibus, meridiana luce apparet, S. Franciſci Stigmata fuiſſe vera, & realia, fateatur neceſſe eſt piiſſimus Thierius, Seraphicum Patriarcham non apparenter, non in figura, non myſtice, & imaginarie, ſed vere, proprie, phyſice, & realiter fuiſſe crucifixum, ac talem per conſequens dici poſſe. Nec pigeat novum editorem Thierianæ diſſertationis audire, quæ de ipſo Thierio ſcribit loco ſuperius laudato Benedictus XIV. „ Hic veritatis fines ſcribendi impetu tranſgreſſus eſt, aſſerens, metaphorice tantum, „ & myſtice S. Franciſcum vulnera recepiſſe, quod falſum eſſe ex ſupra adductis, „ & alibi adducendis dignoſci poteſt. „

Mihi ulterius non iraſcatur Thierii advocatus, ſi hunc ſuum clientem, incautum, & infidelem dico in legendis auctoribus, & in eorum textibus expendendis. Ibidem namque citat ipſe pro ſua ſententia Petrum de Natalibus in Catal. Vit. SS. l. 9. cap. 19. & Jacobum de Voragine Legend. aur. cap. 144.

at-

atque utroſque ſecum ſentire jactat. Quoad primum id probare præſumit ex iſtius verbis a ſe allatis: „ Seraphim crucifixus crucifi-
„ xionis ſuæ ſigna ſic ei evidenter impreſſit,
„ ut crucifixus videretur & ipſe.„ Ita revera Petrus de Natalibus. Sed hic nullæ metaphoræ, apparentiæ nullæ exprimuntur. Dicet quis, hunc loqui in Thierii ſenſu, eo quod aperte ſcribat, S. Franciſco impreſſa fuiſſe crucifixionis ſigna, ob quæ crucifixus videbatur, ſed non erat. Subtiliter quidem, ſed omnino fruſtra. Cui namque vel in mentem venit, S. Franciſcum, ut iterum diximus, clavis materiali cruci fuiſſe confixum? Nemo ſane, cum omnes crediderint ſemper, & credant, ei realiter impreſſa fuiſſe vera Stigmata, quæ ob ſimilitudinem videbantur illa Salvatoris, cujus erant ſigna. Et quomodo clarius explicare id poterat Petrus de Natalibus? Quicumque veritatem Stigmatum S. Franciſci tenet, & fatetur, ſigna hæc fuiſſe ſcribit Chriſti crucifixi, ſed ſigna vera, non metaphorica, ut vult Thierius. Integrum auctoris textum, quo Criticus abutitur, audiamus. „ In viſione Dei„ inquit Petrus de Natalibus„ beatus Franciſcus ſupra ſe cruci-
„ fixum

„ fixum Serafin aſpexit, qui crucifixionis
„ ſuæ ſigna ſic ei evidenter impreſſit, ut cru-
„ cifixus videretur & ipſe. Conſignanturque
„ manus, pedes, & latus crucis charactere,
„ ſed diligenti ſtudio ab omnium oculis Stig-
„ mata abſcondebat; quidam tamen hæc in
„ vita viderunt, ſed in morte plurimi con-
„ ſpexerunt. „ Eadem prorſus hic habet Petrus de Natalibus, quæ penes alios leguntur auctores, quos Thierius ſaltem aliquando videre debuiſſet, vel ab ipſis Petri verbis addiſcere, quod ſi paſſionis Chriſti ſigna, nempe Stigmata, adeo evidenter beato Franciſco fuerunt impreſſa, ut crucifixus videretur, hæc profecto nec myſtica, nec metaphorica fuere, ſed tam vera, & phyſica, ut in vita, & in morte ejus a multis fuerint inſpecta. Id ſi egiſſet vir ſolidæ pietatis amator, ſignum non accepiſſet pro metaphora, atque intellexiſſet, quod ſi vulnera illa ſacra dicuntur ſigna, dicuntur talia relatè ad illa Chriſti, quæ ſignificant, & repræſentant, ut ipſa fert natura ſigni, non autem conſiderata in ſe, quia non poterant ſignificare ſeipſa, & ſi repræſentabant Stigmata Chriſti, erant iſtorum vera, & realia ſigna, quod falſum eſſet, ſi &

illa

illa S. Franciſci non fuiſſent vera Stigmata. Quotquot enim hæc talia fuiſſe putarunt, ea vocant ſigna, vel ſignacula Chriſti crucifixi, quin crediderint unquam, illa indcirco myſtica fuiſſe, & metaphorica, ab ipſa philoſophia edocti, quod ſignum ut aliud indicet, ut in caſu noſtro, debet eſſe quid phyſicum, & reale, & quod natura ſigni realitatem hanc non excludit in re ſignificante. Et equidem S. Bonaventura in Lect. de Canoniz. & de Tranſlat. S. Franciſci ſcribens de fratribus, qui convenerant ad tranſitum Patris, ait: „ Deoſculabantur in eo ſignacula ſummi Re„ gis. „ Eccleſia vero univerſalis in officio Stigmatum, ut alibi quoque dictum eſt, ſolemniter canit: „ Signaſti, Domine, ſervum tuum „ Franciſcum, ſignis redemptionis noſtræ.

Qualia denique Jacobus de Voragine fuiſſe putaverit Stigmata S. Franciſci, an vera ſcilicet, vel metaphorica, haud melius colligi poteſt, quam ex ejuſdem verbis, deſumptis ex Serm. 266. *de Sanctis*, qui eſt 3. *de Stigmatibus Franciſci*, & hæc ſunt: „ Stigmata in corpore ſuo portavit, quod „ fuit omnimodæ veritatis. Quod multipli„ citer oſtendi poteſt. Primo ex Seraphica

„ vi-

„ viſione; vidit enim beatus Franciſcus Chri„
„ ſti paſſionem meditando, revolvit unum
„ de Seraphin ſex alas habentem, & inter
„ alas erat effigies Chriſti crucifixi; diſpa„
„ rens autem, in corde ſuo mirabilem re„
„ liquit ardorem, & in corpore ſuo Stigma„
„ tum impreſſionem. Secundo ex ſanguinis
„ emiſſione; ex dextero enim latere, tam„
„ quam lancea transfixo, ſæpe ſanguis exi„
„ bat, qui tunicam, & femoralia reſperge„
„ bat. Alias enim ſanguinem non emiſiſſet,
„ ſi vera Stigmata non fuiſſent. Tertio ex
„ ſenſibili dolore; cum enim quidam frater
„ ſcapulas ejus confricaret, & vulnus lateris
„ ſic tetigiſſet, beatus Franciſcus ad ejus ta„
„ ctum dolorem ſenſit, & maxime exclama„
„ vit. Alias enim dolor non ſentiretur, niſi
„ vera Stigmata haberentur. Quarto ex mul„
„ torum fideli atteſtatione, quia multi tam
„ in vita, quam in morte iſta Stigmata vi„
„ derunt, tetigerunt, & oſculati ſunt;
„ *quod audivimus, & quod vidimus oculis no*„
„ *ſtris* &c. Quinto ex multorum miraculo„
„ rum oſtenſione; nam ex ſignis ipſis modo
„ certificat dubios; ſicut patet in Papa Gre„
„ gorio; modo juvat devotos, ſicut patet in

„ mi-

„ milite ſibi devoto, qui lethaliter fuit vul-
„ neratus; modo convertit incredulos, ſicut
„ patet in clerico de ejus Stigmatibus dubi-
„ tanti, & manu ſua vulnus recipienti. „
Hæc Jacobus de Voragine, qui nil clarius, nilque validius dicere poterat adStigmatum S. Franciſci veritatem exprimendam, realitatemque comprobandam, licet ſigna eadem ipſe vocet, ſed vera ſigna, ideſt vera Stigmata, ut ejus verba rationibus innixa apertiſſime declarant. Quare cum hæc non myſtica, & metaphorica fuerint, S. Franciſcus crucifixus dici poteſt, & Chriſto ſimilis, quamquam cruci ligneæ clavis non fuerit confixus.

Externa hæc S. Franciſci ſimilitudo cum Chriſto crucifixo exprimitur etiam in ſtemmate fratrum Minorum per duo cancellata brachia, mediam crucem habentia rubra cicatrice obſignata. Collector opuſculorum, ſive novus editor diſſertationis Joannis Baptiſtæ Thiers, ac iſtius laudator, & protector in Notâ ad cap. I. ejuſdem diſſertationis pag. 78. hoc Minorum ſtemma deſcribit, ac poſtea concludit: „ Videtur per hoc ſignificari
„ velle, S. Franciſcum fuiſſe crucifixum, uti

O „ fuit

„ fuit Chriſtus. „ Vir iſte præſumptione, ac temeritate plenus, quique pleriſque videtur novus ichonomacus, Chriſti patientis, & Sanctorum inimicus, veræque philoſophiæ, ac ſanæ theologiæ penitus inſcius, ex dictis intelligat, ſi vult, quam ignoranter ſapiat, quam turpiter hallucinetur, quam audacter ſcribat, & quam inſolenter agat hæc venditando. Intelligat, inquam, ſi vult, quoniam quidquid ipſe ſentiat, vel eructet de S. Franciſci Stigmatibus, noſtra, qui de ipſo non curamus, nihil omnino intereſt, imo ejus deliria in Seraphici patris laudem cedere arbitramur, non minus, quam Pomponatii, Bælii, & Lutheri, ejuſque gregalium calumnias, quas ipſi in lucem edere, ac iterum inter Catholicos imprudenter evulgare placet. Nos veritatem Stigmatum S. Franciſci tot firmiſſimis rationibus, tot validiſſimis teſtibus, & auctoribus aſſertam, probatam, confirmatamque, corde tenentes, atque ore, & calamo affirmantes, ſpretis noſtri ſæculi nebulonibus, cum Alexandro IV. in litteris jam alibi laudatis, *Benigna operatio*, concludimus: „ Nemo itaque eidem Sancto audeat „ de cetero eſſe moleſtus, in corpore ſuo

„ Chriſti triumphalia Stigmata præferenti : „ Ipſis autem reformatoribus, qui, utpote nova pietate, novaque theologia imbuti, hæc legentes ridebunt, & ſubſannabunt, illud ejuſdem Pontificis in alio diplomate, *Grande, & ſingulare*, prolatum intimamus : „ Qui „ prædicaverint, dictum Confeſſorem ipſa „ Stigmata nullatenus habuiſſe, cujuſcumque „ Ordinis, vel conditionis exiſtant, eo ipſo „ laqueum excommunicationis incurrant, a „ qua non poſſint abſolvi, niſi perſonaliter „ Apoſtolicam Sedem adeant, ſuper hoc ab„ ſolutionis beneficium petituri. Et ſi forte „ tales doctores, ſeu lectores in theologia, „ ſeu quacumque alia facultate fuerint, le„ ctionis ſi doctores, prædicationis officium „ ſi prædicatores, ſi vero poteſtatem audien„ di confeſſiones habeant, ea ſint omnino „ privati, & quilibet ipſorum nihilominus, „ qui hujuſmodi officia, vel poteſtatem ſi„ mul habuerit, ſimilem horum privationem „ incurrat. „

Moderni critici, novique theologi, dicebam, hæc audientes ridebunt, ſed ex riſu lectores intelligent, hos, nedum cenſurarum eccleſiaſticarum, & piarum inſtitutionum,

ſed Sanctorum quoque, ac Supremi Paſtoris contemptores, eſſe Janſenianos, ac utique ex illis, qui ſub arctioris diſciplinæ velamine veniunt ad nos, ut alibi etiam diximus, in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. At fideles audiant ultimo, quæ Summus Pontifex Clemens XI. de ipſis ad noſtram doctrinam ſcribat, dum eorum aperit inſolentiam, & pervicaciam; qui Conſtitutioni, *Unigenitus*, obedire detrectant. Ait Pontifex: „ Juſto Dei judicio ambulantes in „ tenebris, neſciunt plane quò vadant: ſcan- „ dalum ſiquidem de Conſtitutione noſtra „ comminiſcuntur; ſed ſeipſos potius de per- „ vicaci ſua inobedientia ſcandalum facere „ non agnoſcunt. Sacroſanctam Epiſcopatus „ dignitatem exaltare ſe velle declarant; ſed „ re ipſa deprimunt, dum interim fraterni- „ tatem ipſi contemnunt, audaciſſimæ infe- „ rioris Cleri rebellioni fomentum tribuunt, „ univerſumque Eccleſiaſticum Ordinem Lai- „ cis Tribunalibus, vel in ipſa Religionis „ cauſa, indecore, ac perperam ſubjici non „ attendunt. De veteris, ac novæ Legis di- „ ſcrimine, tamquam de re ipſis ſolis per- „ ſpecta, multa, & plerumque inutiliter

„ diſputant , novæque præſtantiam, quam
„ omnes agnoſcunt, & profitentur, incul-
„ care non deſinunt; utriuſque tamen Legis
„ plenitudinem, quæ eſt dilectio, minime
„ obſervant. Charitatem nulli impenſius
„ laudant, nulli impudentius violant. Divi-
„ næ Gratiæ virtutem prædicant, quam Ca-
„ tholicus nullus negat: ſed damnatis errori-
„ bus faventes, Spiritui Gratiæ contumeliam
„ faciunt. Quod vero Nos de puſillorum
„ ſcandalo ſollicitos plurimum excruciat,
„ illud eſt, quod dum plerique eorum hæc
„ faciunt, vel conſentiunt facientibus, ad-
„ huc ſpecioſo quodam ementitæ ſeveritatis
„ amictu ſe contegentes, rigidioris doctrinæ
„ gloriam captare non ceſſant, inſtituendæ-
„ que in melius Chriſtianorum vitæ, & ad
„ normam Evangelii componendæ zelum
„ magnifice oſtentant. Quare Nos pernicio-
„ ſam hanc larvam, quæ animabus pretioſiſ-
„ ſimo Chriſti ſanguine redemptis certum pa-
„ rare poſſet exitium, palam detrahere vo-
„ lentes; ipſos aberrantes fratres publice, &
„ coram univerſa Eccleſia monitos facimus,
„ ne ſibi ulterius de falſa exactioris diſcipli-
„ næ fama blandiantur; neque enim vera
„ vir-

„ virtus abſque humilitate, pietas abſque „ obedientia, Chriſtiana demum perfectio „ abſque charitate poteſt conſiſtere: Porro „ quæ humilitas? ſenſum proprium commu„ ni Fratrum ſententiæ, quin, & Supremæ „ Beati Petri Cathedræ judicio obſtinate præ„ ferre? Quæ obedientia, Apoſtolicis defi„ nitionibus reluctari? Quæ tandem chari„ tas, injuriis, & contumeliis agere, rixas, „ & contentiones ubique diſſeminare? Agno„ ſcant igitur, Divini luminis irradiante ful„ gore, quam gravibus coram Deo, & Ec„ cleſia reatibus, & periculis involvantur. „ Meminerint ſcriptum eſſe, quod quaſi pec„ catum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi „ ſcelus Idololatriæ eſt, nolle acquieſcere. „ Omnipotentis Dei, qui ſuperbis reſiſtit, „ tremendum, & imminens ſibi judicium ti„ meant, Eccleſiæque pacem ſimul, & Rei„ publicæ tranquillitatem perturbare tandem „ aliquando deſiſtant. „ Hæc tanti Pontificis verba, de reſpuentibus Conſtitutionem, *Unigenitus*, prolata, etiam de Sacrorum Stigmatum S. Franciſci, aliarumque piarum traditionum modernis oppugnatoribus dicta eſſe, ex eo patet, quod iſti in his oppugnandis eo-

dem

dem agantur ſpiritu, quo in reſpuenda Conſtitutione prædicta agebantur illi, eademque hi excitent ſcandala, quæ inobedientia, & ſuperbia ſua diſſeminabant illi. Patet etiam ex eo vel maxime, quod noſtri reformatores, utpote Janſeniani, eamdem Conſtitutionem ſuperbi, & inobedientes & ipſi deſpiciant, ac proinde eodem malo ſpiritu acti, ab eorum anteſignanis accepto, etiam pias inſtitutiones abjiciant, præſertim ſi a Regularibus eas invectas, aut propugnatas eſſe perſpiciant. Sed recogitent ipſi interim, ſi adhuc eis eſt intellectus, ultima nunc allata graviſſima Clementis XI. verba, & fideles, lupis agnitis ovina pelle contectis, ab eis caveant, atque Eccleſiæ Matris judicio firmiter adhærentes ut filii ejus devote, & humiliter pietatem ſectentur, & fideliter ſervent.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IOTECA